UNIWERSYTET W BIAŁYMSTOKU BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA
5+-415

ALTERA PARS RITVALIS, DE CÆREMONIIS ECCLESIASTICIS:

VT POTE;

DE BENEDICTIONIBVS, PROCESSIONIBVS, ET EXORCISMIS.

CRACOVIÆ,
In Officina ANDREAE PETRICOVII, *S. R. M. Typogr.*
ANNO DOMINI,
M. DC. XXXIV.

ALTERA PARS RITVALIS. DE CÆREMONIIS ECCLESIASTICIS.

De Benedictionibus, Regulæ generales.

NOuerit Sacerdos, quarum rerum benedictiones ad ipsum, & quæ ad Episcopum suo iure pertineant: ne maioris dignitatis munera, temerè, aut imperitè, vnquam vsurpet propriâ authoritate.

In omni benedictione extra Missam, Sacerdos saltem superpelliceo & stolâ, pro ratione temporis vtatur, nisi aliter in Missali notetur.

Stando semper benedicat, & aperto capite.

In principio cuiusq; benedictionis dicat:

℣. A diutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Deinde dicatur Oratio propria, vna, vel plures, prout suo loco notatum fuerit.

Postea rem aspergat aquâ benedictâ, & vbi notatum fuerit, pariter incenset, nihil dicendo.

Cùm Sacerdos aliquid benedicturus est, habeat ministrum cum vase aquæ benedictæ, & aspergillo, & cum hoc Rituali libro, seu Missali.

Caueat, ne benedictionis causa ponat aliquid indecens super altare, veluti esculenta: sed quod eiusmodi est, ponatur super mensam, commodo loco paratam.

Ordo

Ordo ad faciendam aquam benedictam.

Diebus Dominicis, & quandocunq; opus fuerit, præparato sale, & aqua munda benedicenda in Ecclesia, vel in Sacristia, Sacerdos cum superpelliceo & stola violacea indutus, primò dicit:

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.

Deinde absolutè incipit Exorcismum salis.

EXorcizo te creatura salis, per Deum ✠ viuum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ Sanctum, per Deum, qui te per Elisæum Prophetam in aquam mitti iussit, vt sanaretur sterilitas aquæ: vt efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium: & sis omnibus sumentibus te, sanitas animæ & corporis: & effugiat atque discedat à loco, in quo aspersum fueris, omnis phantasia & nequitia, vel versutia diabolicæ fraudis, omnisq; spiritus immundus adiuratus per eum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem. ℟. Amen. Oremus.

IMmensam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus: vt hanc creaturam salis, quam in vsum generis humani tribuisti, benedicere ✠ & sanctificare ✠ tua pietate digneris; vt sit omnibus sumentibus salus mentis & corporis; & quicquid ex eo tactum, vel respersum fuerit, careat omni immunditia, omniq; impugnatione spiritualis nequitiæ. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Exorcismus aquæ, & dicatur sine Oremus.

EXorcizo te creatura aquæ, in nomine Dei ✠ Patris omnipotentis, & in nomine ✠ Iesu Christi Filij eius Domini nostri, & in virtute Spiritus ✠ Sancti: vt fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare, & explantare valeas cum Angelis suis apostaticis: per virtutem eiusdem

eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem. ℟. Amen.

Oremus.

DEus, qui ad salutem humani generis, maxima quæque Sacramenta in aquarum substantia condidisti: adesto propitius inuocationibus nostris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ benedictionis ✠ infunde, vt creatura tua mysterijs tuis seruiens ad abigendos dæmones, morbosq; pellendos, diuinæ gratiæ sumat effectum: vt quicquid in domibus, vel in locis fidelium, hæc vnda respserit, careat omni immunditia, liberetur à noxa; non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens; discedant omnes insidiæ latentis inimici; & si quid est, quod aut incolumitati habitantium inuidet, aut quieti, aspersione huius aquæ effugiat, vt salubritas per inuocationem sancti tui nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per Dominum nostrum, &c.

Hic mittat sal in aquam in modum crucis, dicendo semel:

Commixtio salis & aquæ, pariter fiat; In nomine ✠ Patris, & Filij, ✠ & Spiritus ✠ sancti. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, inuictæ virtutis auctor, & insuperabilis Imperij Rex, ac semper magnificus triumphator: qui aduersæ dominationis vires reprimis, qui inimici rugientis sæuitiam superas: qui hostiles nequitias potenter expugnas; te, Domine, trementes & supplices deprecamur, ac petimus, vt hanc creaturam salis & aquæ dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuæ rore sanctifices, vt vbicunq; fuerit aspersa, per inuocationem sancti tui nominis, omnis infestatio immundi spiritus abigatur, terrorq; venenosi serpentis procul pellatur: & præsentia sancti Spiritus nobis misericordiam tuam

tuam poſcentibus vbique adeſſe dignetur. Per Dominum nostrum, &c. in vnitate eiusdem Spiritus ſancti Deus, &c.

Post benedictionem aquæ, Sacerdos Dominicis diebus, antequam incipiat Miſſam, aſpergit altare, deinde ſe, & miniſtros ac populum; prout in Miſſali præſcribitur, & infra, ſub titulo, De Proceſſionibus. iuxta ritum Prouinciæ habetur.

Poſtea Chriſti fideles poſſunt de ipſa aqua benedicta in vaſculis ſuis accipere, & ſecum deferre ad aſpergēdos ægros, domos, agros, vineas, & alia, & ad eam habendā in cubiculis ſuis, vt ea quotidie, & ſæpius aſpergi poſſint.

IN FESTO S. STEPHANI.

Benedictio Auenæ.

Habetur etiam prolixè in Sacerdotali Romano, & in hac Prouincia antiquitus die Feſto S. Stephani obſeruatur: fiat hoc modo:

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DOmine Deus omnipotens, creator cœli & terræ, Rex regum, & Dominus dominantium, exaudi nos famulos tuos clamantes & orantes ad te, qui omnia de nihilo creâſti, & hoc pabulum cū cæteris creaturis ad vſus animalium, & ad eorum nutrimentum feciſti: quæ quidem animalia in adiutorium & ſuſtentationem hominum creâſti: quiq; hodierna die petitionem S. Stephani prothomartyris adimplêſti: te humiliter deprecamur, vt hanc creaturam auenæ, quam ad vſus animalium, & ſanitatem eorum feciſti, per inuocationem Sancti nominis tui, & interceſſionem Beatæ Mariæ ſemper Virginis genitricis tuæ, & per merita Beati Stephani prothomartyris tui, cuius feſtum hodie recolimus; & per preces omnium San-

um Sanctorum bene ✠dicere, & ſanctifi ✠care digneris, vt animalia quæ ex ea guſtauerint, ſanitatem integraliter recipiant, per te Ieſu Chriſte, cuius ſolo verbo omnia reſtaurantur, ſaluator mundi, Rex æternæ gloriæ. Qui in Trinitate perfecta cum Patre & ſancto Spiritu viuis & regnas, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Oremus.

DEus, qui temporibus Eliæ Prophetæ, cælum à nubibus reſtringendo clauſiſti, & rurſum aperiendo te mirabilem oſtendiſti: exaudi preces plebis tuæ per Vnigenitum tuum, quem conſubſtantialem & coæqualem tibi in Diuinitate credimus, & per Spiritum ſanctum Paraclitum, quem ab vtroq; procedere confitemur, & per merita beatiſſimi prothomartyris Stephani, cuius hodie feſtum celebramus, vt bene ✠dicas, & ſancti ✠fices hanc auena; vt quæcunq; animalia ex ea guſtauerint, adiutorium ſanitatis & incolumitatis recipiant, per te Domine Sancte Pater, qui cum Filio, & Spiritu ſancto, viuis & regnas, per omnia ſæcula ſæculorū. Amē.

Et benedictio Dei ✠Patris omnipotentis, & Filij, ✠& Spiritus ✠ſancti, deſcendat ſuper hanc creaturam auenæ. ℟. Amen.

Deinde aſpergatur aquâ benedictâ.

IN FESTO S. IOANNIS EVANGELISTÆ.

Benedictio Vini.

IN Feſto S. Ioannis Euangeliſtæ, poſt Miſſam maiorem, ante Euang. In principio. quod tunc omittitur per Sacerdotem celebrantem, retentis omnibus paramentis, vinum à populo oblatum, necnon alius potus in memoriam & honorem S. Ioannis, qui venenum innocuè ſumpſit, benedicitur hoc modo:

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

 ℣. Ini-

℣. Initium ſancti Euangelij ſecundum Ioannem.

℟. Gloria tibi Domine.

IN principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine: vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientē in hunc mūdum. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Qui non ex ſanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. ET VERBVM CARO FACTVM EST, & habitauit in nobis. Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. ℟. Deo gratias. Oremus.

PEr iſtos ſermones ſancti Euangelij, & per merita ſancti Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ, bene ✠dicere, & conſe ✠crare digneris, Domine Deus, dexterâ tuâ, hunc calicem vini & cuiuſlibet potus: & præſta, vt omnes in te credentes, & de calice iſto bibentes, benedicantur & protegantur. Et ſicut Beatus Ioannes de calice bibens venenum illæſus omnino permanſit; ita iſti hodie in amore tuo, & Beati Ioannis, de calice iſto bibentes, meritis ipſius ab omni ægritudine veneni, & noxijs quibuſuis abſoluantur, & corpore ac anima ſe offerentes, ab omni culpa liberentur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

BEne ✠dic Domine, hanc creaturam potus, vt ſit remedium ſalutare omnibus ſumentibus: & præſta, per inuocationem ſancti

ſancti nominis tui, vt quicunque ex eo guſtauerint, tam animæ, quàm corporis ſanitatem, te donante percipiant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Concludendo.

ET benedictio Dei omnipotentis Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus ✠ ſancti, deſcendat ſuper hanc creaturam vini, & cuiuſlibet potus, & maneat ſemper.

Poſtremò aquâ benedictâ aſpergat.

Quod ſi benedictio iſta fiat priuatim extra Miſſam, Sacerdos ſuperpelliceo & ſtola indutus, eam ſuper altare tectum conficiat, ſecundùm eandem formulam, incipiendo: Adiutorium noſtrum, &c. vſque ad finem. Niſi quod in locum Euangelij: In principio erat verbum, &c. ſubſtituat Euangelium ſequens.

IN illo tempore: Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galileæ, & erat mater Ieſu ibi. Vocatus eſt autem & Ieſus, & diſcipuli eius, ad nuptias. Et deficiente vino, dicit mater Ieſu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Ieſus: Quid mihi & tibi eſt mulier? Nondum venit hora mea. Dicit mater eius miniſtris: Quodcunq; dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ, ſecundùm purificationem Iudæorum: capientes ſingulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis Ieſus: Implete hydrias aquâ. Et impleuerunt eas vſq; ad ſummum. Et dicit eis Ieſus: Haurite nunc & ferte architriclino. Et tulerunt. Vt autem guſtauit architriclinus aquam vinum factam, & non ſciebat vnde eſſet; miniſtri autem ſciebant, qui hauſerant aquam: vocat ſponſum architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primùm bonum vinum ponit; & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt. Tu autem ſeruâſti bonum vinum vſq; adhuc. Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galileæ, & manifeſtauit gloriam ſuam. Et crediderunt in eum diſcipuli eius.

IN FI-

IN FESTO EPIPHANIÆ.

Benedictio Auri, Myrrhæ & Thuris.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

BEne✠dico te creatura Auri, Thuris, & Myrrhæ: per Deum Patrem omnipotentem, per Iesum Christum filium eius vnicum: & Spiritum Paraclitum: per omnia sancta ac ineffabilia nomina Dei: & per mysterium huius sanctæ diei: quæ eadem munera in titulum regalem, & magnificentiam Sacerdotalem, ac sepulturam Dominicam, tres Magi obtulerunt. Bene✠dico te, vt has virtutes in te suscipias, & in te semper teneas: vt quicunque te creaturam Auri, Thuris, & Myrrhæ, ob reuerentiam Diuinæ maiestatis, & ob corporis ac animæ suæ salutem circa se gestauerint aut quocunq; recto modo habuerint, diuina eos protegente potentia, ab omni periculo corporis & animæ sint tuti vbique: mortem subitaneam, & morbos omnes effugiant: hostiumque visibilium & inuisibilium insidias euadant: & omne desiderium eorum prosperetur: & absoluat eos Dominus ab omnibus tristitijs, veneficijs, & cunctis aduersitatibus. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

Et benedictio Dei omnipotentis Patris✠ & Filij✠ & Spiritus✠ sancti, descendat super nos, & super has creaturas, & maneat semper. Amen.

Postremò aquâ benedictâ aspergat.

Benedi-

Benedictio Candelarum, extra diem Purificationis Beatæ Mariæ Virginis.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine Iesu Christe, Fili Dei viui, benedic✠ candelas istas supplicationibus nostris, infunde eis Domine per virtutem sanctæ Crucis✠ benedictionem cælestem, qui eas ad repellendas tenebras humano generi tribuisti: talemq; benedictionem signaculo sanctæ Crucis✠ accipiant, vt quibuscunq; locis accensæ, siue positæ fuerint, discedant principes tenebrarum, & contremiscant, & fugiant pauidi cum omnibus ministris suis ab habitationibus illis, nec præsumant amplius inquietare, aut molestare seruientes tibi omnipotenti Deo. Qui viuis & regnas, in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Postmodum aspergantur aqua benedicta.

Benedictio domorum, in Sabbatho Sancto Paschæ.

PArochus, seu alius Sacerdos superpelliceo & stola alba indutus, cum ministro deferente vas aquæ, ex benedictione fontium ante perfusionem Chrismatis acceptæ, visitat domos suæ Parochiæ, aspergens eas eadem aqua benedicta. Ingrediens domum, dicit: Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea.

Deinde aspergens loca præcipua domus, & eos qui habitant in ea, dicit Antiphonam:

Vidi aquam egredientem de templo à latere dextro, Alleluia. Et omnes ad quos peruenit aqua ista, salui facti sunt, Alleluia, Allel.

Psalmus. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, &c.

Repeti-

Repetitur Antiph: Vidi aquam, &c. Deinde dicit:

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, Alleluia.
℟. Et salutare tuum da nobis, Alleluia.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

EXaudi nos Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & sicut domos Hebræorum in exitu de Ægypto agni sanguine linitas (quod Pascha nostrum, in quo immolatus est Christus, figurabat) ab Angelo percutiente custodisti: ita mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foueat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Alia benedictio domorum alio tempore facienda, cum aspersione aquæ benedictæ.

PArochus, seu alij Sacerdotes, volentes aliquam particularem domum, vel generaliter domos fidelium alio tempore infra annum aspergere aqua benedicta, ingredientes domum, dicant: Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea. Deinde loca aspergendo, dicant Antiph.

Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor. Psal. Miserere mei Deus: secundùm magnam misericordiam tuam. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat in principio, & nunc, &c.

Et repetitur Antiphona Asperges me Domine, &c.

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

EXaudi nos Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mitte-

& mittere digneris sanctum Angelum tuum de cælis, qui custodiat, foueat, protegat, visitet, atq; defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat aqua benedicta.

Benedictio loci.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Domine exaudi orationē meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscū. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

BEnedic ✠ Domine Deus omnipotens locum istum, vel domum istam, vt sit in eo, vel in ea, sanitas, castitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas, & mansuetudo, plenitudo legis, & gratiarum actio Deo Patri, & Filio, & Spiritui sancto; & hæc benedictio maneat super hunc locum, & super habitantes in eo, nunc, & semper. ℟. Amen.

Et aspergat aqua benedicta

Alia benedictio domus nouæ.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

TE Deum Patrem omnipotentem supplicitèr exoramus pro hac domo, & habitatoribus eius, ac rebus, vt eam benedicere, ✠ & sanctificare, ✠ ac bonis omnibus ampliare digneris: tribue eis, Domine, de rore cœli abundantiam, & de pinguedine terræ vitæ substantiam, & desideria voti eorum ad effectum tuæ miserationis perducas. Ad introitum ergo nostrum benedicere, ✠ & sanctificare, ✠ digneris hanc domum, sicut benedicere dignatus es domum Abraham, Isaac, & Iacob: & intra parietes domus istius,

istius, Angeli tuæ lucis inhabitent, eamque & eius habitatores custodiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat aqua benedicta.

Benedictio Thalami.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

BEnedic ✠ Domine, thalamum hunc, vt omnes habitantes in eo, in tua pace consistant, & in tua voluntate permaneant, & senescant, & multiplicentur in longitudine dierum, & ad regna cœlorum perueniant. Per Christum Dominum nostrũ. ℟. Amen.

Postea aspergatur thalamus aqua benedicta.

Benedictio nouæ Nauis.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

PRopitiare Domine supplicationibus nostris, & benedic ✠ Nauem istam dextera tua sancta, & omnes, qui in ea vehentur, sicut dignatus es benedicere arcam Noe ambulantem in diluuio: porrige eis Domine dexteram tuam, sicut porrexisti beato Petro ambulanti supra mare; & mitte sanctum Angelum tuum de cœlis, qui liberet, & custodiat eam semper à periculis vniuersis, cũ omnibus, quæ in ea erunt: & famulos tuos repulsis aduersitatibus portu semper optabili, cursuq; tranquillo tuearis, transactisque ac rectè perfectis negotijs omnibus, iterato tempore ad propria cum omni gaudio reuocare digneris. Qui viuis & regnas, &c.

Aspergat nauim Aqua benedicta.

Bene-

Benedictio communis super fruges, & vineas.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

ORamus pietatem tuam omnipotens Deus, vt has primitias creaturæ tuæ, quas aëris & pluuiæ temperamento nutrire dignatus es, benedictionis tuæ imbre perfundas; & fructus terræ tuæ vsque ad maturitatem perducas. Tribuas quoque populo tuo de tuis muneribus tibi semper gratias agere, vt à fertilitate terræ esurientium animas bonis affluentibus repleas, & egenus & pauper laudent nomen gloriæ tuæ. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergat illas Aqua benedicta.

Benedictio peregrinorum, ad loca sancta prodeuntium.

PEregrini ad loca sancta profecturi, antequam discedant iuxta veteris Ecclesiæ institutum, deberent accipere parentes, seu commendatitias litteras à suo Ordinario, seu Parocho. Quibus obtentis, & rebus suis dispositis, facta peccatorum suorum confessione, & audita Missa, in qua dicitur Oratio pro peregrinantibus, sanctissimam Eucharistiam deuotè suscipiunt. Expleta Missa, Sacerdos super eos genuflexos, dicit sequentes Preces.

Antiphona. In viam pacis.

Canticum Zachariæ. *Luc: 1.*

BEnedictus Dominus Deus Israel: quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ.
Et erexit cornu salutis nobis: in domo Dauid pueri sui.

Sicut locutus est per os Sanctorum: qui à sæculo sunt prophetarum eius.
Salutem ex inimicis nostris: & de manu omnium, qui oderunt nos.
Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: & memorari testamenti sui sancti.
Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum: daturum se nobis.
Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati: seruiamus illi.
In sanctitate & iustitia coram ipso: omnibus diebus nostris.
Et tu puer propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini, parare vias eius.
Ad dandam scientiam salutis plebi eius: in remissionem peccatorum eorum.
Per viscera misericordiæ Dei nostri: quibus visitauit nos oriens ex alto.
Illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. &c.

Repetitur Antiph. In viam pacis, & prosperitatis, dirigat vos omnipotens & misericors Dominus, & Angelus Raphael comitetur vobiscum in via, vt cum pace, salute, & gaudio, reuertatis ad propria. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, &c. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣ Saluos fac seruos tuos. ℟. Deus meus sperantes in te ℣. Mitte eis Domine auxilium de Sancto. ℟. Et de Sion tuere eos. ℣. Esto eis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in eis. ℟ Et filius iniquitatis non apponat nocere eis. ℣. Benedictus Dominus die quotidie. ℟ Prosperum iter faciat vobis Deus salutarium nostrorum. ℣. Vias tuas Domine, demonstra nobis. ℟. Et semitas tuas edoce nos. ℣. Vtinam dirigantur viæ nostræ. ℟. Ad custodiendas iustificationes tuas. ℣. Erunt praua in directa. ℟. Et aspera in vias planas.

℣. Angelis suis Deus mandauit de te. ℟. Vt custodiant te in omnibus vijs tuis. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui filios Israël per maris medium sicco vestigio ire fecisti, quiq; tribus Magis iter ad te stella duce pandisti: tribue eis quæsumus, iter prosperum, tempusq; tranquillum, vt Angelo tuo sancto comite, ad eum, quo pergunt locum, ac demum ad æternæ salutis portum fæliciter valeant peruenire.

DEus, qui Abraham puerum tuum de Vr Chaldæorum eductũ, per omnes suæ peregrinationis vias illæsum custodisti: quæsumus, vt hos famulos tuos custodire digneris. Esto eis Domine in procinctu suffragium, in via solatium, in æstu vmbraculum, in pluuia & frigore tegumentum, in lassitudine vehiculum, in aduersitate præsidium, in lubrico baculus, in naufragio portus; vt te duce, quò tendunt, prosperè perueniant, & demum incolumes ad propria reuertantur.

ADesto, quæsumus Domine, supplicationibus nostris, & viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone, vt inter omnes viæ, & vitæ huius varietates, tuo semper protegantur auxilio.

PRæsta, quæsumus omnipotens Deus, vt familia tua per viam salutis incedat, & beati Ioannis præcursoris hortamenta sectando, ad eum, quem prædixit, secura perueniat, Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

EXaudi Domine, preces nostras, & iter famulorum tuorum propitius comitare, atq; misericordiam tuam, sicut vbiq; es, ita vbiq; largire; quatenus à cunctis aduersitatibus tua opitulatione defensi, gratiarum tibi referant actionem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Pax, & benedictio ✠ Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiri-

Spiritus ſancti, deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper. Amen.

Deinde aſpergantur aqua benedicta.

Quod ſi vnus fuerit peregrinaturus, omnia dicuntur in numero ſingulari; ac ſi Sacerdos ipſe, qui benedicit, fuerit ſocius peregrinationis, dicat in perſona prima numeri pluralis, quatenus congruere videbitur.

Benedictio Peregrinorum, poſt reditum.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
Antiph. Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Pſalmus 127.

BEati omnes qui timent Dominum: qui ambulant in vijs eius.
Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit.
Vxor tua ſicut vitis abundans: in lateribus domus tuæ.
Filij tui ſicut nouellæ oliuarum: in circuitu menſæ tuæ.
Ecce ſic benedicetur homo: qui timet Dominum.
Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bona Ieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ.
Et videas filios filiorum tuorum: pacem ſuper Iſraël.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Antiph. Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum.
Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter, &c.
℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. Benedicti qui veniunt in nomine Domini. ℟. Benedicti vos à Domino, qui fecit cœlum & terram. ℣. Reſpice Domine in ſeruos tuos, & in opera tua. ℟. Et dirige eos in viam mandatorum tuorum. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Ore-

Oremus.

LArgire, quæſumus Domine, famulis tuis, indulgentiam placatus, & pacem, vt pariter ab omnibus mundentur offenſis, & ſecura tibi mente deſeruiant.

OMnipotens ſempiterne Deus, noſtrorum temporum, vitæque diſpoſitor, famulis tuis continuæ tranquillitatis largire ſubſidium: vt quos incolumes proprijs laboribus reddidiſti, tua facias protectione ſecuros.

DEus humilium viſitator, qui nos fraterna dilectione conſolaris, præter de ſocietati noſtræ gratiam tuam, vt per eos, in quibus habitas, tuum nobis ſentiamus aduentum. Per Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum, &c.

Deinde aſpergatur aqua benedicta à Sacerdote dicente:

Pax, & benedictio ✠ Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper. Amen.

BENEDICTIONES ESCVLENTORVM, præſertim in Paſcha.

Benedictio Agni Paſchalis.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

DEus, qui per famulum tuum Moyſen, in liberatione populi tui de Ægypto, agnum occidi iuſſiſti, in ſimilitudinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & vtroſque poſtes domorum de ſanguine eiuſdem Agni perungi præcepiſti: ita benedicere ✠ & ſanctificare ✠ digneris hanc creaturam carnis, quam nos famuli tui ad laudem tuam ſumere deſideramus, per reſurrectionem eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui tecum viuit, &c. ℟. Amen.

Et mox aſpergat aqua benedicta

Bene-

Benedictio Ouorum.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

O remus.

SVbueniat, quæsumus Domine, tuæ benedictionis ✠ gratia, huic ouorum creaturæ, vt cibus salubris fidelibus tuis, in tuarum gratiarum actione sumentibus, ob resurrectionem Domini nostri Iesu Christi, qui tecum viuit & regnat, in sæcula sæculorum. ℟. Amen. Aspergat aqua benedicta.

Benedictio Panis.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

O remus.

DOmine Iesu Christe, panis Angelorum, panis viuus æternæ vitæ, benedicere ✠ dignare panem istum, sicut benedixisti quinq; panes in deserto, vt omnes ex eo gustantes, inde corporis & animæ percipiant sanitatem. Qui viuis, & regnas, in sæcula sæculorum. ℟. Amen. Et aspergat aqua benedicta.

Alia benedictio Panis.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

O remus.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere ✠ digneris hunc panem tua sancta spirituali benedictione: vt sit omnibus sumentibus salus mentis, & corporis, atque contra omnes morbos, & vniuersas inimicorum insidias tutamen. Per Domi-

Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, panem viuum, qui de cœlo descendit, & dat vitam, & salutem mundo, & tecum viuit, & regnat, in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen. Aspergat aqua benedicta.

Benedictio nouorum fructuum.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

O remus.

BEnedic ✠ Domine, hos nouos fructus N. & præsta: vt qui ex eis in tuo sancto nomine vescentur, corporis & animæ salute potiantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergat aqua benedicta.

Benedictio ad quodcunq; comestibile.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

O remus.

BEnedic ✠ Domine, creaturam istā N. vt sit remedium salutare generi humano: & præsta, per inuocationem sancti nominis tui, vt quicunq; ex ea sumpserint, corporis sanitatem, & animæ tutelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergat id aqua benedicta.

Benedictio Olei simplicis.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram. Exorcismus.

EXorcizo te creatura olei, per Deum Patrem ✠ omnipotentē, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt.

 Omnis

Omnis virtus aduersarij, omnis exercitus diaboli, & omnis incursus, omne phantasma sathanæ eradicare, & effugare ab hac creatura olei, vt fiat omnibus, qui eo vsuri sunt, salus mentis & corporis, in nomine Dei Patris ✠ omnipotentis, & Iesu ✠ Christi Filij eius Domini nostri, & Spiritus sancti ✠ paracliti, & in charitatem eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine Deus omnipotens, cui astat exercitus Angelorum cum tremore, quorum seruitium spirituale cognoscitur, dignare respicere, benedicere ✠ & sanctificare ✠ hanc creaturam olei, quam ex oliuarum succo eduxisti, & ex eo infirmos inungi mandasti, quatenus sanitate percepta, tibi Deo viuo & vero gratias agerent: præsta quæsumus, vt hi, qui hoc oleo, quod in tuo nomine benedicimus ✠ vsi fuerint, ab omni languore, omniq; infirmitate, atq; cunctis insidijs inimici liberentur, & cunctæ aduersitates separentur à plasmate tuo, quod pretioso sanguine Filij tui redemisti, vt nunquam lædatur à morsu serpentis antiqui. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate, &c.

Aspergat oleum aqua benedicta.

BENEDICTIONES AB EPISCOPIS, vel alijs facultatem habentibus, faciendæ.

Benedictio Sacerdotaliũ indumentorum in genere.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Omni-

OMnipotẽs sempiterne Deus, qui per Moysen famulum tuum, Pontificalia, & Sacerdotalia, seu Leuitica vestimenta, ad explendum in conspectu tuo ministerium eorum, ad honorem, & decorem nominis tui, fieri decreuisti: adesto propitiùs inuocationibus nostris, & hæc indumenta Sacerdotalia desuper irrigante gratia tua, ingenti benedictione, per nostræ humilitatis seruitium, purificare, ✠ benedicere, ✠ & consecrare ✠ digneris, vt Diuinis cultibus, & sacris mysterijs apta, & benedicta existant: his quoque sacris vestibus, Pontifices & Sacerdotes, seu Leuitæ tui induti, ab omnibus impulsionibus, seu tentationibus, malignorum spirituum muniti, & defensi esse mereamur, tuisque mysterijs aptè & condignè seruire, & inhærere, atq; in his tibi placitè & deuotè perseuerare tribue. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

DEus inuictæ virtutis triumphator, & omnium rerum creator, ac sanctificator: intende propitius preces nostras, & hæc indumenta, Leuiticæ, Sacerdotalis, & Pontificalis gloriæ, ministris tuis fruenda, tuo ore proprio benedicere, ✠ sanctificare ✠ & cõsecrare ✠ digneris: omneſq; eis vtentes, tuis mysterijs aptos, & tibi in eis deuotè ac laudabiliter seruientes, gratos efficere digneris. Per Dominum nostrum Iesum, &c. Oremus.

DOmine Deus omnipotens, qui vestimenta Pontificibus, Sacerdotibus, & Leuitis, in vsum tabernaculi fœderis necessaria, Moysen famulum tuum agere iussisti, eumque spiritu sapientiæ ad id peragendum repleuisti: hæc vestimenta in vsum, & cultum mysterij tui, benedicere, ✠ sanctificare, ✠ & consecrare ✠ digneris, atq; ministros Altaris tui, qui ea induerint, septiformis spiritus gratia dignanter repleri, atq; castitatis stola, beata facias cum bonorum fructu operum ministerij congruentis immortalitate vestiri. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergit ipsa indumenta aqua benedicta.

Bene-

Benedictio mapparum, siue linteaminum Altaris.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

EXaudi Domine preces nostras, & hæc linteamina sacri altaris vsui præparata, benedicere ✠ & sanctificare digneris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Oremus.

DOmine Deus omnipotens, qui Moysen famulum tuum, ornamenta, & linteamina, facere per quadraginta dies docuisti, quæ etiam Maria texuit, & fecit in vsum ministerij, & tabernaculi fœderis: benedicere, ✠ sanctificare, ✠ & consecrare ✠ digneris hæc linteamina, ad tegendum, inuoluendumque altare gloriosissimi Filij tui Domini nostri Iesu Christi. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen. Deinde aspergit ea aqua benedicta.

Benedictio Corporalium.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

CLementissime Domine, cuius inenarrabilis est virtus, cuius mysteria arcanis mirabilibus celebrantur: tribue quæsumus, vt hoc linteamẽ tuæ propitiationis benedictione ✠ sanctificetur, ad consecrandum super illud corpus & sanguinem, Dei & Domini nostri Iesu Christi Filij tui. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, &c. ℟. Amen. Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, benedicere, ✠ sanctificare, ✠ & consecrare ✠ digneris linteamen istud, ad tegendum inuoluen-

uoluendumq; corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi Filij tui. Qui tecum viuit & regnat, &c. ℟. Amen.

Oremus.

OMnipotens Deus, manibus nostris opem tuæ benedictionis infunde: vt per nostram benedictionem ✠ hoc linteamen sanctificetur, & corporis, ac sanguinis Redemptoris nostri, nouum sudarium Spiritus sancti gratia efficiatur. Per eundem, &c. in vnitate eiusdem Spiritus sancti Deus, &c. ℟. Amen.

Et aspergit aqua benedicta.

Benedictio tabernaculi, seu vasculi, pro Sacrosancta Eucharistia conseruanda.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, Maiestatem tuam supplices deprecamur; vt vasculum hoc pro corpore Filij tui Domini nostri Iesu Christi, in eo condendo fabricatum, benedictionis ✠ tuæ gratia dicare digneris. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Deinde aspergit illud aqua benedicta

Benedictio nouæ Crucis.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

ROgamus te, Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, vt digneris benedicere ✠ hoc signum Crucis, vt sit remediũ salutare

ſalutare generi humano, ſit ſoliditas fidei, profectus bonorum operum, redemptio animarum, ſit ſolamen, & protectio, ac tutela contra ſæua iacula inimicorum. Per Chriſtum Dominum noſtrũ. ℟. Amen.

Alia Oratio idem.

BEnedic ✠ Domine, hanc Crucem tuam, per quam eripuiſti mundum à dæmonum poteſtate, & ſuperaſti paſſione tua ſuggeſtorem peccati, qui gaudebat in præuaricatione primi hominis per ligni vetiti ſumptionem. Hic aſpergat aqua benedicta. Sanctificetur hoc ſignum Crucis, in nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus ✠ ſancti, vt orantes, inclinanteſq; ſe propter Dominum ante iſtam Crucem, inueniant corporis & animæ ſanitatem. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Poſtea Sacerdos genuflexus ante Crucem, & idem faciunt quicunque voluerint.

BENEDICTIO IMACINVM IESV CHRISTI Domini noſtri, B.M. V. & aliorum Sanctorum.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum imagines, ſiue effigies ſculpi, aut pingi non reprobas, vt quoties illas oculis corporis intuemur, toties eorum actus, & ſanctitatem, ad imitandum memoriæ oculis meditemur: hanc, quæſumus, imaginem, ſeu ſculpturam, in honorem & memoriam vnigeniti Filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti, vel Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Matris Domini noſtri Ieſu Chriſti, vel B. N. Apoſtoli tui, vel Martyris, vel Confeſſoris, aut Pontificis, aut Virginis adaptatam, benedicere ✠ & ſanctificare ✠ digneris: & præſta, vt quicunq; coram illa vnigenitum Filium tuum, vel Beatiſſimam Virginem, vel glori

glorioſum Apoſtolum, ſiue Martyrem, ſiue Confeſſorem, aut Virginem, ſuppliciter colere, & honorare ſtuduerit; illius meritis, & obtentu, à te gratiam in præſenti, & æternam gloriam obtineat in futurum. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Vltimo aſpergat aqua benedicta.

RITVS BENEDICENDI, ET IMPONENDI primarium lapidem pro Eccleſia ædificanda, ſeruandus à Sacerdote facultatem habente ab Epiſcopo.

ECcleſiam ex Epiſcopi authoritate tantùm, iuxta Sacrorum Canonum Decreta, ædificari fas eſt. Si verò Sacerdos eius ædificationis primarium lapidem benedicendi poteſtatem habens, eiuſmodi functionem peragat, hunc ritum ſeruabit.

Pridie quam primarius lapis benedicatur, ligneam crucem in loco, vbi debet eſſe Altare, figat ipſe, vel alius Sacerdos. Sequenti verò die lapis in Eccleſiæ fundatione ponendus, qui debet eſſe quadratus, & angularis, benedicatur hoc modo:

Sacerdos indutus amictu, alba, cingulo, ſtola, & pluuiali albi coloris adhibitis aliquot Sacerdotibus, & Clericis, ſalem, & aquam benedicit, niſi prius in promptu habeat iam benedictam ordinaria benedictione; vt ſupra pagina 2, & interim dum cantatur à Clericis Antiphona cum Pſalmo ſequenti, aſpergit locum, vbi crux poſita eſt, cum aqua benedicta.

Antiph. Signum ſalutis pone Domine Ieſu Chriſte, in loco iſto, & non permittas introire Angelum percutientem.

Pſalmus 83.

QVam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.
Cor meum & caro mea: exultauerunt in Deum viuum.
Etenim paſſer inuenit ſibi demum: & turtur nidum ſibi, vbi ponat pullos ſuos.
Altaria tua Domine virtutum: Rex meus, & Deus meus.
Beati qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te.

Beatus

Beatus vir cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum, in loco quem posuit.
Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.
Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Iacob.
Protector noster aspice Deus: & respice in faciem Christi tui.
Quia melior est dies vna in atrijs tuis: super millia.
Elegi abiectus esse in domo Dei mei: magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.
Quia misericordiam & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus.
Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut.

Finito Psalmo, Sacerdos versus ad locum per eum aspersum, dicit:

O remus.

DOmine Deus, qui licet cœlo & terra non capiaris, domum tamen dignaris habere in terris, vbi nomen tuum iugiter inuocetur, locum hunc, quæsumus, Beatæ Mariæ semper Virginis, & B. N. (nominando Sanctum, vel Sanctam, in cuius honorem ac nomen, fundabitur Ecclesia) omniumq; Sanctorum intercedentibus meritis, sereno pietatis tuæ intuitu visita, & per infusionem gratiæ tuæ ab omni inquinamento purifica, purificatumq; conserua; & qui dilecti tui Dauid deuotionem filij sui Salomonis opere compleuisti, in hoc opere desideria nostra perficere digneris, effugiantq; omnes hinc nequitiæ spirituales. Per Dominum nostrũ, &c. in vnitate Spiritus sancti Deus, &c. ℟. Amen.

Postea stans benedicit primarium lapidem, dicens:

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecis cœlum

lum & terram. ℣. Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc, & vsq; in sæculum. ℣. Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes. ℟. Hic factus est in caput anguli. ℣. Tu es Petrus. ℟. Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. ℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen. O remus.

DOmine Iesu Christe, Fili Dei viui, qui es verus omnipotens Deus, splendor & imago æterni Patris, & vita æterna, qui es lapis angularis de monte sine manibus abscissus, & immutabile fundamentum, hunc lapidem collocandum in tuo nomine confirma; & tu, qui es principium & finis, in quo principio Deus Pater ab initio cuncta creauit, sis, quæsumus, principium, & incrementum, & consummatio ipsius operis, quod debet ad laudem & gloriam tui nominis inchoari. Qui cum Patre, & Spiritu sancto, viuis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tunc aspergit lapidem ipsum aqua benedicta, & accepto cultro, per singulas partes sculpit in eo signum crucis, dicens: In nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus ✠ sancti. ℟. Amen. Quo facto, dicit:

O remus.

BEnedic ✠ Domine, creaturam istam lapidis, & præsta, per inuocationem sancti tui nominis, vt quicunq; ad hanc Ecclesiam ædificandam pura mente auxilium dederint, corporis sanitatem, & animæ medelam percipiant. Per Christum, &c. ℟. Amen.

Postea dicantur Litaniæ ordinariæ sine Orationibus in fine positis; quibus dictis, parato cæmento, & cæmentario assistente, Sacerdos inchoat, Clericis prosequentibus, Antiphonam:

Mane surgens Iacob, erigebat lapidem in titulum, fundens oleum desuper; votum vouit Domino: Verè locus iste sanctus est, & ego nesciebam.

Psalmus 126.

Nisi

NIsi Dominus ædificauerit domum: in vanum labotauerunt qui ædificant eam.
Nisi Dominus custodierit ciuitatem: frustra vigilat qui custodit eã.
Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.
Cùm dederit dilectis suis somnum: ecce hæreditas Domini, filij, merces, fructus ventris.
Sicut sagittæ in manu potentis: ita filij excussorum.
Beatus vir, qui impleuit desiderium suum ex ipsis; non confundetur cùm loquetur inimicis suis in porta.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.

Quo dicto, Sacerdos stans tangit, & ponit ipsum primarium lapidem in fundamento, dicens:

In fide Iesu Christi, collocamus Lapidem istum primarium in hoc fundamento. In nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus ✠ sancti, vt vigeat vera fides hic, & timor Dei, fraternaq; dilectio, & sit hic locus destinatus orationi, & ad inuocandum, & laudandum nomen eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia, &c. ℟. Amen.

Interim cæmentarius locat ipsum lapidem cum cæmento, postea Sacerdos spargit super lapidem aquam benedictam, dicens: Asperges me Domine, &c. Psal. Miserere mei Deus, &c. vt in prima parte, pagina 69. dicitur totus, cum Gloria Patri. Quo dicto, Sacerdos spargit aquam benedictam per omnia fundamenta, si sunt aperta: si verò non sunt aperta, circuit aspergendo fundamenta Ecclesiæ designata. Et incipiens aspergere, inchoat Antiphonam, Clero prosequente.

O quam metuendus est locus iste, verè non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli.

Psalmus 86.

FVndamenta eius in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob.

Gloriosa

Gloriosa dicta sunt de te: ciuitas Dei.
Memor ero Rahab, & Babylonis: scientium me.
Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum: hi fuerunt illic.
Nunquid Sion dicet; Homo, & homo natus est in ea: & ipse fundauit eam Altissimus?
Dominus narrabit in scripturis populorum, & principum: horum qui fuerunt in ea.
Sicut lætantium omnium: habitatio est in te.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Antiphona. O quam metuendus est locus iste, verè non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli.

Interim aspergendo procedit vsq; ad fundamenta aperta, seu designata, & repetita Antiphona, stans dicit: Oremus. Ministri. Flectamus genua. ℟. Leuate.

OMnipotens & misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam contulisti, vt quidquid in tuo nomine dignè, perfectèq; ab eis agitur, à te fieri credatur: quæsumus immensam clementiam tuam, vt quidquid modo visitaturi sumus, visites; & quidquid benedicturi sumus, bene ✠ dicas, sitq; ad nostræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingressus. Per Christum, &c. ℟. Amen.

DEus, qui ex omnium cohabitatione Sanctorum, æternum Maiestati tuæ condis habitaculum: da ædificationi tuæ incrementa cælestia, vt quod te iubente fundatur, te largiente perficiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

RITVS BENEDICENDI NOVAM ECclesiam, seu Oratorium publicum, vt ibi sanctissimum Missæ Sacrificium celebrari possit.

SAcerdos nouam Ecclesiam de licentia Episcopi benedicturus, vt in ea diuinum Sacrificium Missæ ritè celebretur, stola ac pluuiali albi coloris indutus, aliquot Sacerdotibus & Clericis adhibitis, prælata cruce media inter

inter duos Clericos deferentes cereos accensos, mane procedit ad primariam Ecclesiæ, vel Oratorij ianuam, vbi stans capite aperto, conuersus ad eam, dicit absolutè Orationem.

ACtiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præueni, & adiuuando prosequere; vt cuncta nostra oratio, & operatio, à te semper incipiat, & per te cæpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde inchoat Antiphonam: Asperges me Domine, &c. & Clerus alternatim dicit Psalm. Miserere mei Deus. in fine Gloria Patri.

Interim circumdant exterius Ecclesiam (quæ intus debet esse vacua, & nuda, & pariter altaria nuda, excluso populo, donec absoluta sit benedictio) & Sacerdos accepto aspergillo ex herba hyssopi, ad eius dexteram se conuertens, parietes Ecclesiæ in superiore parte, & in fundamentis, cum aqua benedicta aspergit dicens: Asperges me Domine hyssopo, & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor.

Reuersi ad locum, vnde Processio initium habuit, repetita Antiphona à Clero, Sacerdos stans, vt prius, versus Ecclesiam, dicit: Oremus. & Ministri: Flectamus genua. ℟. Leuate.

Oratio.

DOmine Deus, qui licet cœlo & terra non capiaris, domum tamen dignaris habere in terris, vbi nomen tuum iugiter inuocetur locum hunc: quæsumus, Beatæ Mariæ semper Virginis, & Beati N. omniumq; Sanctorum intercedentibus meritis, sereno pietatis tuæ intuitu visita, & per infusionem gratiæ tuæ, ab omni inquinamento purifica, purificatumq; conserua; & qui dilecti tui Dauid deuotionem in filij sui Salomonis opere compleuisti, in hoc opere desideria nostra perficere digneris, effugiantque omnes hic nequitiæ spirituales. Per Dominum nostrum, &c.

Qua finita oratione, omnes bini in Ecclesiam intrantes ad altare maius procedunt, Litanias decantantes.

Vbi dictum fuerit Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, Te rogamus audi nos.

Surgit

Surgit Sacerdos, & intelligibili voce dicit:

Vt hanc Ecclesiam, & Altare, ad honorem tuum, & nomen Sancti tui N. purgare, & benedicere ✠ digneris, Te rog: audi nos.

Cùm dicit benedicere, manu dextera benedicit Ecclesiã, & altare deinde vt priùs genuflectit, donec perficiantur Litaniæ; & Cantores sequuntur:

Vt nos exaudire digneris, Te rogamus audi nos. Fili Dei, Te rogamus audi nos. Agnus Dei, &c.

Dicto vltimo Kyrie eleison. Sacerdos stans dicit Oremus. Ministri, Flectamus genua. ℟. Leuate.

PRæueniat nos, quæsumus Domine, misericordia tua, & intercedentibus omnibus Sanctis tuis, voces nostras clementiæ tuæ propitiationis anticipet. Per Christum, &c. ℟. Amen.

Tum distans ab altari congruenti spatio genuflexus, & se signans dicit: Deus in adiutorium meum intende. & statim surgit Clero respondente: Domine ad adiuuandum me festina: ipse verò stans dicit Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Chorus respondet: Sicut erat in principio, &c. Postea Sacerdos dicit: Oremus. Ministri, Flectamus genua. ℟. Leuate.

Oratio.

OMnipotens & misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam contulisti, vt quidquid in tuo nomine dignè, perfectèq; ab eis agitur, à te fieri credatur: quæsumus immensam clementiam tuam, vt quidquid modo visitaturi sumus, visites; & quidquid benedicturi sumus, bene ✠ dicas; sitq; ad nostræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingressus. Per Dominum nostrum, &c.

His dictis inchoat Antiphonam, Benedic Domine domum istam, nomini tuo ædificatam. cum tribus Psalmis sequentibus, videlicet:

Psalmus 119.

AD Dominum cùm tribularer clamaui: & exaudiuit me.

Domi-

Domine libera animam meam à labijs iniquis: & à lingua dolosa.
Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi: ad linguam dolosam.
Sagittæ potentis acutæ: cum carbonibus desolatorijs.
Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea.
Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cùm loquebar illis, impugnabant me gratis.
Gloria Patri, &c. Psalmus 120.

LEuaui oculos meos in montes: vnde veniet auxilium mihi.
Auxilium meum à Domino: qui fecit cœlum & terram.
Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui custodit te.
Ecce non dormitabit, neq; dormiet: qui custodit Israël.
Dominus custodit te: Dominus protectio tua super manum dexteram tuam.
Per diem sol non vret te: neque luna per noctem.
Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.
Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum: ex hoc nunc, & vsque in sæculum.
Gloria Patri, &c. Psalmus 121.

LAetatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Dñi ibimus.
Stantes erant pedes nostri: in atrijs tuis Ierusalem.
Ierusalē, quæ ædificatur vt ciuitas: cuius participatio eius in idipsū.
Illuc enim ascenderunt tribus tribus Domini: testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini.
Quia illic sederunt sedes in indicio: sedes super domum Dauid.
Rogate quæ ad pacē sunt Ierusalem: & abundantia diligentibus te.
Fiat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis.
Propter fratres meos, & proximos meos: loquebar pacem de te.
Propter domum Domini Dei nostri: quæsiui bona tibi.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.

Anti-

Antiph. Benedic Domine domum istam nomini tuo ædificatā.

Interim aspergit interius parietes in parte superiori & inferiori, inchoans aspersionem à parte Euangelij, dicens: Asperges me Domine, &c. tum ad Altare reuersus, dicit: Oremus. Flectamus genua. ℟. Leuate.

DEus, qui loca nomini tuo dicanda sanctificas, effunde super hanc orationis domum gratiam tuam, vt ab omnibus hic nomen tuum inuocantibus, auxilium tuæ misericordiæ sentiatur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, &c.

His peractis dicitur Missa de tempore occurrenti, vel de Sancto.

Ecclesia verò quamuis à simplice Sacerdote, vt supra, sit benedicta, ab Episcopo tamen consecranda est.

RITVS RECONCILIANDI ECCLESIam violatam, si nondum erat ab Episcopo consecrata.

ECclesiæ violatæ reconciliatio per Sacerdotem ab Episcopo delegatum, fiat hoc modo: Altare Ecclesiæ omninò nudetur, prouideaturque, vt Ecclesia possit liberè circumiri, tàm exteriùs quàm interiùs, si fieri potest, paretur vasculum cum aqua benedicta, & aspergillum de herbâ hyssopo factum. Sacerdos indutus amictu, alba, cingulo, stola, & pluuiali albo, adhibitis aliquot Sacerdotibus, & Clericis, procedit ad primariam Ecclesiæ portam, vbi stans Antiphonam incipit, dicens, Clero prosequente: Asperges me Domine hyssopo, & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor. Psalmus, Misierere mei Deus. totus cum Gloria Patri. Quo finito, Antiphona repetitur. Interim dum Antiphona & Psalmus dicuntur, Sacerdos cum aqua benedicta aspergit in circuitu extrinsecus Ecclesiam, & Cæmeterium simul aspergendo alternatim ad parietes Ecclesiæ, ad terram Cæmeterij, præsertim ad loca contaminata. Quo facto, redit ad locum, vbi incepit aspergere, & stans dicit:

Oremus.

OMnipotens, & misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam contulisti, vt quidquid in tuo nomine dignè, perfectèq; ab eis agitur, à te fieri credatur: quæsumus immensam cle-

ſam clementiam tuam, vt quod modo viſitaturi ſumus, viſites, & quidquid benedicturi ſumus, bene ✠ dicas, ſitq; ad noſtræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingreſſus. Per Chriſtum, &c. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos incipit Litanias, & ingreditur Eccleſiam cum Clero cantando eas; acceditq; ante altare maius, coram quo genuflectit, cùmq; dictum fuerit: Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternam, &c. ℟. Te rogamus audi nos. Sacerdos ſurgit, & clara voce dicit:

Vt hanc Eccleſiam, altare hoc, & cæmeterium, purgare, ✠ & reconciliare digneris, Te rogamus audi nos.

Quibus dictis, rurſus genuflectit, & Litaniæ perficiuntur. Quibus finitis, Sacerdos verſus ad dictum altare, dicit: O remus. & Miniſtri. F lectamus genua. ℟. Leuate.

PRæueniat nos, quæſumus Domine, miſericordia tua, & intercedentibus omnibus Sanctis tuis, voces noſtras clementia tuæ propitiationis anticipet. Per Chriſtum, &c. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos genuflectit ante Altare, & ſe ſigno crucis muniens, clara voce dicit: Deus in adiutorium meum intende. tum ſurgit, & Chorus, ſeu aſtantes Clerici reſpondent: Domine ad adiuuandum me feſtina. & Sacerdos ſtans dicit: G loria Patri, &c. ℟. Sicut erat in principio, &c. Quo dicto Sacerdos inchoat, Clero proſequente, Antiphonam:

Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum, à facie eius. Pſal.

In Eccleſijs benedicite Deo Domino: de fontibus Iſrael.

Repetitur Antiphona.

Ibi Beniamin adoleſcentulus: in mentis exceſſu. Repet: Ant.

Principes Iuda, duces eorum: Principes Zabulon, Principes Nephtali. Repetitur Antiphona.

Manda Deus virtuti tuæ: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Repetitur Antiphona.

A templo ſancto tuo in Ieruſalem: tibi offerent reges munera. Repetitur Antiphona.

Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: vt excludant eos, qui probati ſunt argento. Repet: Ant.

Diſſipa gentes, quæ bella volunt: venient legati ex Ægypto; Æthiopia præueniet manus eius Deo. Repetitur Ant.

Regna terræ cantate Deo: pſallite Domino. Repet: Ant.

Pſallite Deo, qui aſcendit ſuper cœlum cœli: ad orientem.

Repetitur Antiphona.

Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis, date gloriam Deo ſuper Iſraël: magnificentia eius, & virtus eius in nubibus. Repet: Ant.

Mirabilis Deus in Sanctis ſuis, Deus Iſrael, ipſe dabit virtutem & fortitudinem plebi ſuæ: benedictus Deus. Et non dicitur Gloria Patri. ſed Antiphona repetitur.

Interim dum Antiphona & Pſalmus prædicti dicuntur, Sacerdos circuit Eccleſiam intrinſecus aſpergendo, aſpergit etiam ſpecialiter loca contaminata, quo facto, ſtans in presbyterio verſus ad altare dicit:

DEvs, qui in omni loco dominationis tuæ, clemens, & benignus purificator aſſiſtis: exaudi nos, quæſumus, & concede, vt in poſterum inuiolabilis huius loci permaneat benedictio, & tui muneris beneficia, vniuerſitas fidelium, quæ ſupplicat, percipere mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde dicitur Miſſa de die occurrenti.

Simplex Sacerdos, tantum ex Priuilegio Sedis Apoſtolicæ, poteſt Eccleſiam ab Epiſcopo conſecratam reconciliare. Et tunc vtatur ritu in Pontificali præſcripto. Procedatq; indutus amictu, alba, cingulo, ſtola, & pluuiali albi coloris, adhibitis ſecum alijs Presbyteris; & Clericis ſuperpelliceis indutis, cum aqua ab Epiſcopo ad hunc vſum ritè benedicta.

RITVS BENEDICENDI NOVVM CÆmeterium, per Sacerdotem ab Epiſcopo delegatum.

PRidie quam fiat benedictio, ponitur in medio Cæmeterio benedicendo lignea Crux alta ad ſtaturam hominis, & ante ipſam Crucem in terra figitur paxillus tridens ligneus altus ad cubitum vnum, aptus ad affigendum illis tres candelas.

Sequen-

Sequenti die, mane Sacerdos in Sacristia paratus amictu, alba, cingulo, stola, & pluuiali albi coloris, adhibitis aliquot Sacerdotibus & Clericis indutis superpelliceis, qui deferant vasculum aquæ benedictæ, aspergillum, & thuribulum cum incensi nauicula, & hoc Rituali libro, & tribus candelis cæreis, procedit ad Cæmeterium benedicendum ante Crucem in medio positam, & affiguntur, & accenduntur tres candelæ super ligneum paxillum, & Sacerdos ante Crucem & candelas stans discooperto capite, dicit:

Oremus.

OMnipotens Deus, qui es custos animarum, & tutela salutis, fides credentium: respice propitius, ad nostræ seruitutis officium, & ad introitum nostrum, purgetur, ✠ benedicatur, ✠ & sanctificetur ✠ hoc Cæmeterium, vt humana corpora hic post vitæ cursum quiescentia, in magna iudicij die, simul cum felicibus animabus, mereantur adipisci vitæ perennis gaudia. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Mox ante ipsam Crucem omnes genibus flexis, dicunt Litanias ordinarias, incipiente Cantore, cæteris respondentibus; & cùm dictum fuerit, Vt omnibus fidelibus defunctis, &c. Te rogamus audi nos. Sacerdos surgit, & clara voce dicit, producens manu signum Crucis, Vt hoc Cæmeterium purgare, & benedicere ✠ digneris, Te rogamus, &c.

Deinde Sacerdos, vt prius, genuflectit, & Litaniæ perficiuntur.

Quibus finitis, surgunt omnes, & Sacerdos Crucem aspergit aqua benedicta, dicens Antiphonam: Asperges me Domine, &c. Psal: Miserere mei Deus, &c. dicitur totus ab astantibus, cum Gloria Patri, &c. vt in prima parte, pagina 69. quo dicto, repetitur Antiph. Dum dicitur Psalmus, Sacerdos circuit & perambulat totum Cæmeterium, incipiens ad eius dexteram, aspergens vbiq; aqua benedicta; quo facto, redit ante Crucem, & ad ipsam respiciens, dicit:

Oremus.

DEus, qui es totius orbis conditor, & humani generis redẽptor, cunctarumq; creaturarum, visibilium & inuisibilium, perfectus dispositor: te supplici voce, ac puro corde exposcimus, vt hoc Cæmeterium, in quo famulorum, famularumq; tuarum, corpora quiescere debent, post curricula huius vitæ labentia, purgare, ✠ benedicere, ✠ & sanctificare ✠ digneris; quiq; remissionẽ omnium peccatorũ, per tuam magnam misericordiam in te confidẽtibus, præstitisti, corporibus quoq; eorum in hoc Cæmeterio quiescentibus, & tubam primi Archangeli expectantibus, consolationem perpetuam largiter impartire. Per Christum, &c. ℟. Amen.

Tunc figit in summitate Crucis vnam ex tribus candelis ardentibus, & alias duas similiter ardentes in duobus brachijs eiusdem Crucis. Deinde incensat ipsam Crucem, & aspergens aquâ benedictâ, redit cum ministris in Sacristiam.

ORDO RECONCILIANDI CÆMETERIUM violatum, siue Ecclesiæ contigium sit, siue separatum, vbi Ecclesia non est polluta.

MAne diei, qua facienda est reconciliatio, Sacerdos, si ab Episcopo facultatem habeat, adhibitis alijs Sacerdotibus, & Clericis indutis superpelliceis, in Sacristia, aut alio decenti loco, vestitus amictu, alba, cingulo, stola, & pluuiali albi coloris, accedit ad medium Cæmeterij, Clerico vasculum aquæ benedictæ, & aspergillum deferente, & ibi super tapete genuflectit vnà cum ministris, & Cantores, alijq; omnes genibus flexis, dicunt Litanias; in quibus cùm dictum fuerit: Vt omnibus fidelibus defunctis, &c. Te rogamui audi nos: Sacerdos surgit, & manu dextra producens signum Crucis super Cæmeterium, clara voce, dicit:

Vt hoc Cæmeterium reconciliare ✠ & sanctificare digneris.
℟. Te rogamus audi nos.

Quibus dictis, vt prius genuflectit, Cantoribus Litanias perficientibus. Quibus finitis, surgunt omnes, & Sacerdos accepto aspergillo cum aqua benedicta, inchoat Antiphonam: Asperges me Domine hyssopo, Clero prosequente, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor. Psal: Miserere mei Deus, &c. dicitur totus, sine Gloria Patri. in fine repetitur Anriph: Asperges.

Dum hæc dicuntur, Sacerdos circuit totum Cæmeterium, incipiens ad eius dexteram, aspergens vbiq; aqua benedicta, præsertim in loco, vbi violatio

violatio commissa est. Quo peracto, redit ad locum, vbi Litaniæ dictæ fuerunt, & ibi stans dicit: Oremus. & Ministri: Flectamus genua. ℟. Leuate.

DOmine pie, qui agrum figuli pretio Sanguinis tui, in sepulturam peregrinorum comparari voluisti, quæsumus, dignanter reminiscere clementissimi huius mysterij tui. Tu es enim Domine, figulus noster: tu quietis nostræ æger: tu agri huius pretiū: Tu dedisti etiā, & suscepisti: Tu de pretio tuo viuifici Sanguinis nos requiescere donasti. Tu ergo Domine, qui es offensionis nostræ clementissimus indultor, expectantissimus iudicator, iudicij tui superabūdantissimus miserator, iudicium tuæ iustissimæ seueritatis abscondens, post miserationē tuæ piæ redemptionis adesto exauditor, & effector nostræ reconciliationis: hocq; Cæmeterium peregrinorū tuorū cælestis patriæ incolatum expectantium, benignus purifica, & reconcilia, & his tumulatorum & tumulandorum corpora, de potentia & pietate tuæ resurrectionis, ad gloriam incorruptionis, non damnans, sed glorificans, resuscita Qui venturus es iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

IN FESTO S. AGATHÆ.

Benedictio panis & aquæ, contra ignis periculum.

Sacerdos celebrans Missam de Festo in Canone maiori, antequam proferat illa verba: Per quem hæc omnia Domine, semper bona creas: conuersus ad populum, panem & aquam tenentem, dicit Psal: 66.

DEus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.

Vt cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate: & gentes in terra dirigis.

Confi-

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri, & Filio, &c. Sicut erat in principio, &c.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, &c.

Et ne nos inducas in tentationem, &c.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc, & vsque in sæculum.
℣. Ora pro nobis beata Agatha. ℟. Vt digni efficiamur, &c.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor, &c.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine Iesu Christe Fili Dei viui, qui es panis viuus, qui de cœlo descendisti, bene ✠dic, & sanctifica ✠hos panes, & aquam, in honorem Beatæ Agathæ Virginis & Martyris; vt vbicunq; contra ignem comburentem missa vel posita fuerint, illicò ignis euanescat, & penitus extinguatur. Qui viuis & regnas cum Deo Patre, &c.

Benedictio Dei omnipotentis Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus ✠ sancti, per intercessionem Beatæ Agathæ Virginis & Martyris tuæ, descendat super has creaturas, & maneat semper. Amen.

Postea aspergat ea aquâ benedictâ, & reuersus ad altare, prosequitur in Canone, vbi desierat: Per quem hæc omnia Domine, semper bona creas, &c. vsq; ad finem Missæ. Hoc pane vescantur eodem die initio comestionis, in domo constituti. Aquam verò seruent, vt tempore necessitatis in ignem inijciatur.

De Pro-

DE PROCESSIONIBVS.

PVblicæ, Sacræq; Proceßiones, seu Supplicationes, quibus ex antiquißimo Sanctorum Patrum instituto, Catholica Ecclesia, vel ad excitandum fidelium pietatem, vel ad commemoranda Dei beneficia, eiq; gratias agendas, vel ad Diuinum auxilium implorandum, vti consueuit, qua par est religione, celebrari debent: continent enim magna ac diuina mysteria, ac salutares Christianæ pietatis fructus, eas piè exequentes, à Deo consequuntur; de quibus fideles præmonere & erudire, quo tempore magis opportunum fuerit, Parochorum officium est.

Videant inprimis Sacerdotes, alijq; Ecclesiastici Ordinis, vt in his Proceßionibus ea modestia ac reuerentia, tum ab ipsis, tum ab alijs adhibeatur, quæ pijs & religiosis huiusmodi actionibus maximè debetur.

Omnes decenti habitu, superpelliceis, vel alijs sacris vestibus, sine galeris, nisi pluuia cogente, induti, grauiter, modestè, ac deuotè, bini suo loco procedentes, sacris precibus ita sint intenti, vt remoto risu, mutuoq; colloquio, & vago oculorum aspectu, populum etiam ad piè deuotèq; precandum inuitent.

Laici à Clericis, fœminæ à viris, separatæ, orantes prosequantur.

Præferatur Crux, & vbi fuerit consuetudo, vexillum sacris imaginibus insignitum, non tamen factum militari seu triangulari forma.

Edendi ac bibendi abusum, secumuè esculenta & poculenta deferendi in sacris Proceßionibus, agrisq; lustrandis, & suburbanis Ecclesiis visitandis, tollere Parochi studeant: ac fideles præsertim die Dominica, quæ proximè Rogationes antecedit, quàm hæc dedeceat corruptela, sæpiùs admoneant.

Proceßiones fieri debent, deinde Missa solenniter celebrari: nisi aliter ob grauem causam, interdum Ordinario, vel Clero videatur.

Proceßiones autem quædam sunt ordinariæ, quæ fiunt certis diebus per annum, vt in Festo Purificationis Beatæ MARIÆ *semper Virginis; & in Dominica Palmarum, & in Litanijs maioribus in festo S. Marci: & in minoribus Rogationum, triduo ante Ascensionem Domini; & in die Festo Corporis Christi, vel alijs diebus pro consuetudine Ecclesiarum.*

Quædam verò sunt extraordinariæ, vt quæ varijs ac publicis Ecclesiæ de causis in dies indicuntur.

DE PRO-

DE PROCESSIONIBVS DOMINICIS

diebus, iuxta ritum antiquum Prouinciæ.

ANte Missam maiorem Sacerdos celebraturus super albam, cum reliquis pluuiali coloris tunc competentis, indutus, ritu solito procedit: & ante altare inclinatus, vel si in altari fuerit Corpus Christi, genuflexus erigit sese; & accepto à Diacono, vel Ministro, aspersorio, aquâ benedictâ moderatè (quod in alijs aspersionibus obseruabit) imbuto, inchoabit Ant:

Sper ges me.

Choro autem, vt infra, reliquum prosequente; ipse mox factâ ante altare reuerentia, aspergat illud ter, nimirum in medio, & vtroq; cornu Euangelij & Epistolæ. Deinde aspergit seipsum & ministros, ex quibus vni reddit asperforium, ad aspergendum populum, vel in defectu ministri ipse aspergat, recitando interim, si placet, reliquum Ant: prædictæ, quæ talis est:

Asperges me Domine, hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor. Psal. Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Vers: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen. Et repetitur Antiph: Asperges me.

Finita per Chorum Antiphona, celebrans stando versus altare, dicit voce canora:

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.
℟. Et salutare tuum da nobis.

O remus.

PRæsta nobis, quæsumus Domine, hac aqua aspersis, sanitatem corporis, integritatem mentis, tutelam salutis, securitatem spei, corroborationem fidei. Per Christum, &c. ℟ Amen.

Hoc modo peragitur aspersio per totum Annum, exceptis Dominicis in Passione, & Palmarum: in quibus, post versum Miserere. non dicitur Gloria Patri. sed loco eius repetitur integra Antiph: Asperges me.

In Dominica Passionis & Palmarum, supra scripta Antiphona, sub tono sequenti inchoatur.

A Dominica Paschæ, vsq; ad Domin: Pentecostes inclusiuè, loco Asperges me. canitur Antiphona.



Egredientem de templo à latere dextro, Alleluia. Et omnes ad quos peruenit aqua ista, salui facti sunt, & dicent, Alleluia, allel. Psal. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius. Vers. Gloria Patri. Et repetitur Antiph: Vidi aquam. Finita aspersione, vt supra, & Antiphona, dicitur:

℣. Domine, apud te est fons vitæ, Alleluia.

℟. Et in nomine tuo videbimus lumen, Alleluia.

Oremus.

COncede, quæsumus omnipotens Deus, vt qui Paschalia festa peragimus, cælestibus desiderijs accensi, fontem vitæ sitiamus: Iesum Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dicta Oratione, propter vniuersalis Ecclesiæ vsum in hac Prouincia continuatum, retineatur Processio: quæ secundùm Durandum, in suo Ratio-

Rationali, lib: 6. c. 88. continet memoriã Dominicæ Resurrectionis tali die factæ. In hac autem Processione fit aspersio pauimenti templi, vel cæmeterij, & cantus Responsorij, quod in officio illius diei est vltimum: quorũ frequentissimum, Duo Seraphim: infra adnotatur. Deinde decantetur Antiphona: Pax æterna. sine temerarijs additionibus, vt infra adnotatur. Decursus autem Processionis, vel Stationis, non abs re est, vt modo solito Antiphona de Patrono Ecclesiæ, vel Antiph: Saluator mundi. finiatur.

Responso: in Processionibus, à Dom: Trinit: ad Aduen. & in Dominicis quæ supersunt, post octa: Epiph: ad Septuages: decantandum.



ter ra glo ri-

a e ius. ℣. T res ſunt qui teſtimo-



nium dant in cœ lo, Pater, Verbum, & Spiri-



tus ſan ctus, & hi tres v num ſunt.

San ctus, &c. G loria Pa tri,



& Fi lio, & Spiri tui ſan cto.



Plena.

Poſtea in medio Eccleſiæ fit ſtatio, in qua canitur Antiph: ſequens, vſque ad Dominicam vltimam Octobris.

Pax

Ax æ ter na. Chor. A b æ-



terno Pa tre hu ic do mui; pax



pe ren nis verbũ Pa tris, ſit pax hu-

ic do mui, pa-

cem pius conſola tor hu ic præ-



ſtet do-

mui.

℣. Bea-

℣. Beati qui habitant in domo tua Domine.
℟. In sæcula sæculorum laudebunt te.

Oremus.

EXaudi nos Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foueat, protegat, visitet, atq; defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

In Dedicatione Templi & Octaua eius, hæc Oratio dicitur.

VEniat, quæsumus Domine, super hanc habitationis domum charitas misericordiæ tuæ, vt ab omnibus hic inuocantibus nomen tuum, protectionis tuæ sentiatur auxilium. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

DE PROCESSIONE IN DIE PVRIFICATIONIS Beatæ Mariæ Virginis.

Completa benedictione, & distributione candelarum, vt in Missali Romano reformato, canitur Antiphona:

Chorus prosequitur.

Et gloriam plebis tuæ Israel. Nunc dimittis, &c. cum Gloria.

Postea fit Processio. Et primò celebrans imponit incensum in thuribulum. Et Diaconus vertens se ad populum, dicit in tono: Procedamus in pace. Et Chorus respondet: In nomine Christi, Amen.

Præcedit thuriferarius cum thuribulo fumigante: deinde Subdiaconus paratus, deferens Crucem medius inter duos Acolythos, cum candelabris, & candelis accensis: sequitur Clerus per ordinem, vltimò celebrans cum Diacono à sinistris, omnes cum candelis accensis in manibus, & cantantur Antiphonæ sequentes.

Antiph.

Ant.



meon

meon in vlnas ſu as, prædica uit po-



pulis Do minum e um eſ ſe

vi tæ & mortis, & Salua-



Alia Antiphona.

to rem mun di.



R Eſpon ſum ac ce pit Si meon



à Spi ritu ſan cto,

non vi ſu rum ſe mor tem, ni ſi videret Chri-

ſtum Do-

ſtum Do mini: & cùm in-



du cerent pu erum in templum, acce-



pit e um in vlnas ſuas: & bene-



dixit De um, & dixit: Nunc dimit tis ſer-

uum tu um, Do-



mine in pa ce.

℣. Cùm inducerent puerum Ieſum parentes e-

ius, vt

ius, vt facerent ſecundùm conſuetu dinem legis pro

e o: i pſe accepit e um in vl-

nas ſu as.

Ingrediendo Eccleſiam, cantatur Reſponſorium.

O B tule runt pro e o Do mino

par tur turum: aut du os pul-

los col lum ba rum. Sicut

ſcri ptum eſt in le-

ge Do-

ge Do mini. ℣. P oſtquã au tem

imple ti ſunt di es purgatio nis Mari-

æ ſecundùm legem Moy ſi, tule runt illum in

Ie ru ſalem: vt ſi ſterent e um Do-

mino. Sicut. ℣. G lo ri a Pa-

tri, & Fi li o, & Spiri tui

ſan cto. Sicut.

Finita

Finita Processione, celebrans & Ministri, depositis violaceis, accipiunt paramenta alba pro Missa. Et candelæ tenentur in manibus accensæ, dum legitur Euangelium, & iterum ad eleuationem Sacramenti, vsque ad Communionem.

DE PROCESSIONE DIE Cinerum.

Celebraturus Missam maiorem, loco planetæ, pluuiali violaceo, vel si deest, obscurioris coloris indutus, procedit more solito ad altare: vbi debet esse præparatum vasculum sufficiens cineris; ex palmis seu ramis, & frondibus (si possunt haberi) præteriti anni benedictis. Primò igitur genuflexus, in pede altaris inchoat Antiphonam.



Prosequitur Chorus.

Quoniam benigna est misericordia tua: & secundùm multitudinem miserationum tuarum, respice nos Domine. Psal. Saluum me fac Deus: quoniam intrauerunt aquæ vsq; ad animam meam. ℣. Gloria Patri. Et repetitur Antiph: E xaudi nos Domine. Deinde in tono, quo dicuntur Orationes per horas diei, dicitur:

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, parce pœnitentibus, propitiare supplicantibus; & mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui bene ✠ dicat, & sancti ✠ ficet hos cineres, vt sint remedium salubre omnibus nomen sanctum tuum humiliter implorantibus, ac semetipsos pro conscientia delictorum suorum accusantibus, atq; ante conspectum diuinæ clementiæ tuæ facinora sua deplorantibus, vel serenissimam pietatem tuam suppliciter obnixèq; flagitantibus: & præsta, per inuocationem sanctissimi nominis tui, vt quicunq; eos super se asperserint, pro redemptione peccatorum suorum, corporis sanitatem, & animæ tutelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

DEus, qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum, fragilitatem conditionis humanæ benignissime respice, & hos cineres, quos causa proferendæ humilitatis, atq; promerendæ veniæ, capitibus nostris imponi decernimus, bene ✠ dicere pro tua pietate dignare: vt, qui nos cinerem esse, & ob prauitatis nostræ meritum, in puluerem reuersuros cognoscimus; peccatorum omnium veniam, & præmia pœnitentibus repromissa, misericorditer consequi mereamur. Per Christum. ℟. Amen.

Oremus.

DEus, qui humiliatione flecteris, & satisfactione placaris: aurem tuæ pietatis inclina precibus nostris, & capitibus seruorũ tuorum, horum cinerum aspersione attactis, effunde propitius gratiã tuæ bene ✠ dictionis; vt eos, & spiritu compunctionis repleas, & quæ iustè postulauerint, efficaciter tribuas, & concessa perpetua stabilitate intactos manere decernas. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui Niniuitis in cinere & cilicio pœnitentibus, indulgentiæ tuæ remedia præstitisti: concede propitius, vt sic eos imitemur habitu, quatenus veniæ prosequamur obtentu. Per Dominum, &c.

Completa Cinerum benedictione, primò imponitur cinis Sacerdoti celebraturo Missam ab alio Sacerdote, si adest: alioquin Sacerdos ipse metgenibus flexis coram altari sibiipsi cineres imponit: & cantatur statim à Choro Antiphona.

Immutemur habitu, in cinere & cilicio, ieiunemus & ploremus ante Dominum: quia multum misericors est dimittere peccata nostra Deus noster.

Alia

Alia Antiphona. Inter veſtibulum & altare, plorabunt Sacerdotes miniſtri Domini, & dicent: parce Domine, parce populo tuo: & ne diſſipes ora canentium te Domine.

Sequitur Reſponſorium.

Emendemus in melius, quæ ignoranter peccauimus: ne ſubitò præoccupati die mortis, quæramus ſpatium pœnitentiæ, & inuenire non poſſimus. Attende Domine, & miſerere: quia peccauimus tibi. ℣. Adiuua nos Deus ſalutaris noſter: & propter honorem nominis tui Domine, libera nos. Attende Domine. ℣. Gloria, &c. Attende.

Sacerdos verò, dum cantantur Antiphonæ & Reſponſorium, primò miniſtris ſtantibus genibus flexis coram altari, imponit cinerem, dicens: Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.

Poſtea veniunt alij, primò Clerus per ordinem, deinde populus: & genibus flexis ante altare, ſigillatim recipiunt cineres à Sacerdote, vt dictum eſt de miniſtris. Completa Cinerum datione, dicitur: Dominus vobiſcũ.

O remus.

COncede nobis, Domine, præſidia militiæ Chriſtianæ ſanctis inchoare ieiunijs: vt contra ſpirituales nequitias pugnaturi, continentiæ muniamur auxilijs. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, &c. ℟. Amen.

Poſtea iuxta antiquum morem huius Prouinciæ, ſingulis ferijs ſecundis, quartis, & ſextis, quando officium fit de feria, vel niſi ſit feſtum celebre, vel duplex, & in cantu ſolenni, ordine conſueto peragitur Proceſſio, intra vel circa Eccleſiam, decantando Litanias in eum qui ſequitur modũ.

LITANIARVM FORMVLA,

qui eſt antiquiſſimus, ſimul & efficaciſſimus, pro omnibus neceſſitatibus militantis Eccleſiæ, interpellandi modus.

Mini

Miniſtri vel pueri intonant, Chorus verò proſequitur vel reſpondet: omnes genuflexi vſq; ad S. Mariam: & tunc aſſurgant, & progrediantur.



Kyrie eleiſon. Christe eleiſon. Kyrie eleiſon. — Resp: Chorus. — Christe audi nos. Christe exaudi nos.



Pater de cælis Deus. Filii redemptor mundi Deus, Spiritus ſancte Deus. Sancta Trinitas vnus Deus. — Chorus. — Miſerere nobis.



Sancta Maria, — Chorus. — Ora pro nobis.

Sancta Dei genitrix, Sancta Virgo virginum, — Chorus. — Ora pro nobis. Ora pro nobis.



Sancte Michael, Sancte Gabriel, Sancte Raphael, — Chorus. — Ora pro nobis

O mnes ſancti Angeli & Archangeli, Orate pro nobis.
O mnes ſancti beatorum ſpirituum ordines, Orate pro nobis.

S ancte Ioannes Baptiſta, O ra pro nobis.
O mnes ſancti Patriarchæ & Prophetæ, Orate pro nobis.

S ancte Petre,
S ancte Paule,
S ancte Andrea,
S ancte Iacobe,
S ancte Ioannes,
S ancte Thoma,
S ancte Iacobe,
S ancte Philippe,
S ancte Bartholomæe,
S ancte Matthæe, } Ora pro nobis.

S ancte Simon, Ora pro nobis.

S ancte Thadæe, Ora pro nobis.
S ancte Mathia,

S ancte

S ancte Barnaba,
S ancte Luca,
S ancte Marce, } Ora pro nobis.

O mnes ſancti Apoſtoli & Euangeliſtæ,
O mnes ſancti diſcipuli Domini,
O mnes ſancti Innocentes, } Orate pro nobis.

S aucte Stephane,
S ancte Laurenti,
S ancte Vincenti,
S ancte Adalberte,
S ancte Staniſlae,
S ancte Venceſlae,
S ancte Floriane,
S ancte Caſimire, } Ora pro nobis.

S ancti Fabiane & Sebaſtiane,
S ancti Ioannes & Paule,
S ancti Coſma & Damiane,
S ancti Geruaſij & Prothaſij,
O mnes ſancti Martyres, } Orate pro nobis.

S ancte Syluester,
S ancte Gregori,
S ancte Ambroſi,
S ancte Auguſtine,
S ancte Hieronyme,
S ancte Martine,
S ancte Nicolae, } Ora pro nnbis.

O mnes ſancti Pontifices & Confeſſores, Orate pro nobis.
O mnes ſancti Doctores, Orate pro nobis.

S ancte Benedicte,
S ancte Antoni,
S ancte Bernarde, } Ora pro nobis.

S ancte

Sancte Dominice,
Sancte Hyacincte, } Ora pro nobis.
Sancte Francisce,
Omnes sancti Monachi & Eremitæ, Orate pro nobis.
Omnes sancti Sacerdotes & Leuitæ, Orate pro nobis.
Sancta Maria Magdalena,
Sancta Anna,
Sancta Agatha,
Sancta Lucia,
Sancta Agnes,
Sancta Cecilia, } Ora pro nobis.
Sancta Catharina,
Sancta Anastasia,
Sancta Heduigis,
Sancta Elizabeth,
Sancta Vrsula cũ sodalibus tuis,



Omnes sanctæ virgines & viduæ, Orate pro nobis.

Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercedite pro nobis.



Propi tius esto, Parce nobis Domine.
Propi tius esto, Exaudi nos Domine.

Ab omni



Ab omni malo. Libera nos Domine.
Ab omni peccato,
Ab ira tua,
A subitanea & improuisa morte,
Ab insidijs diaboli,
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate,
A spiritu fornicationis,
A fulgure & tempestate,
A morte perpetua,
Per mysterium sanctæ incarnationis tuæ,
Per Aduentum tuum, } Libera nos Domine.
Per Natiuitatem tuam,
Per Baptismum & sanctum ieiuniũ tuũ,
Per Crucem & Passionem tuam,
Per mortem & sepulturam tuam,
Per sanctam Resurrectionem tuam,
Per admirabilem Ascensionem tuam,
Per Aduentum Spiritus sancti paracleti,
In die Iudicij,



Peccato res, Te rogamus audi nos.



Vt nobis parcas, Te rogamus audi nos.

Vt nobis

Vt nobis indulgeas, Te rogamus audi nos.
Vt ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, Te rog.
Vt Ecclesiam tuam sanctam regere & conseruare digneris, Te rogamus audi nos.
Vt domnum Apostolicum, & omnes Ecclesiasticos ordines in sancta religione conseruare digneris, Te rogamus.
Vt inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, Te rog.
Vt Regibus & Principibus Christianis pacem, & veram concordiam donare digneris, Te rogamus audi nos.
Vt cuncto populo Christiano pacem & vnitatem largiri digneris, Te rogamus audi nos.
Vt nosmetipsos in tuo sancto seruitio confortare & conseruare digneris, Te rogamus audi nos.
Vt mentes nostras ad cœlestia desideria erigas, Te rogamus.
Vt omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, Te rogamus audi nos.
Vt animas nostras, fratrum, propinquorum, & benefactorum nostrorum, ab æterna damnatione eripias, Te rogamus.
Vt fructus terræ dare, & conseruare digneris, Te rogamus.
Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, Te rogamus audi nos.
Vt nos exaudire digneris, Te rogamus audi nos.

Fili Dei, Te rogamus audi nos.



Agnus Dei qui tollis peccata mundi, { Parce nobis Domine. Exaudi nos Domine. Miserere nobis.

Christe

Christe audi nos. Christe exaudi nos.



Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie

eleison.

DE VELO ANTE MAIVS ALTARE.

Notandum, quod in Ecclesiis huius Prouinciæ soleat velum extendi, inter altare & populum: quæ cærimonia quamuis sit particularis, non videtur tamen immutanda, eò quod & ratione non careat. Cùm enim prima Feria quarta Quadragesimali appenditur, videtur denotare statum pœnitentiæ, quando peccata diuiserunt inter Deum & populum: & Sacerdotes inter vestibulum & altare interpellant pro peccatis populi. Ideoq; congruit illud clausum tenere in officio de tempore, excepta Missa: & si quæ fuerint aliæ, ad quæ populus attendere debet. Quando verò rursus vltima Feria quarta Hebdomadæ Sanctæ deponitur, circa illa verba in Passione Domini: Et velum templi scissum est: potest per id intelligi (exacta iam quasi pœnitentia) efficacia passionis & mortis Christi, medium parietem maceriæ inter Deum & peccatorem dissoluentis. Simili fortasse ratione imagines Christi, Matris eius, & Sanctorum, per illud tempus clauduntur, aut velantur, vsq; ad Sabbatum Sanctum: excepto signo Passionis Domini, quod Feria quinta Cœnæ Domini aperiatur. Reliqua quæ in officio Quadragesimæ obseruanda sunt, petantur ex Rubricis Breuiarij & Missalis Romani.

DE BE-

DE BENEDICTIONE PALmarum, & Processione in Dominica Palmarum.

SAcerdos sacris vestibus, & desuper loco Planetæ, pluuiali violaceo indutus, cum ministris, si adsunt, simili colore amictis, procedunt cum ramis; quos in medio & cornibus altaris deponunt. Postea fit aspersio Dominicalis more solito: qua peracta, conferuntur rami versus altare pro clericis & populo quantum placet. Interea canitur à Choro.



Deinde dicit Sacerdos, Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

In tono Orationis Missæ Ferialis Oratio.

DEus, quem diligere & amare, iustitia est, ineffabilis gratiæ tuæ in nobis dona multiplica: & qui fecisti nos in morte Filij tui sperare, quæ credimus, fac nos eodem resurgente peruenire, quò tendimus. Qui tecum, &c.

Subscripta Lectio legitur in tono Epistolæ.

Lectio libri Exodi.

In die-

IN diebus illis: Venerunt filij Israël in Elim, vbi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ, & castrametati sunt iuxta aquas. Profectiq; sunt de Elim: & venit omnis multitudo filiorum Israel in desertum Sin, quod est inter Elim & Sinai, quintodecimo die mēsis secundi, postquam egressi sunt de terra Ægypti. Et murmurauit omnis congregatio filiorum Israël contra Moysen & Aaron in solitudine. Dixeruntq; ad eos filij Israel: Vtinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate. Cur induxistis nos in desertum istud, vt occideretis omnem multitudinem fame? Dixit autem Dominus ad Moysen: Ecce ego pluam vobis panem de cœlo. Egrediatur populus, & colligat, quæ sufficiunt per singulos dies, vt tentem eum; vtrum ambulet in lege mea, an non. Die autem sexto parent, quod inferant: & sit duplum, quàm colligere solebant per singulos dies. Dixeruntq; Moyses & Aaron ad omnes filios Israel: Vespere scietis, quòd Dominus eduxerit vos de terra Ægypti: & mane videbitis gloriam eius.

Deinde cantatur pro Graduali Responsorium.

COllegerunt Pontifices & Pharisæi concilium, & dixerunt: quid facimus; quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic; omnes credent in eum. Et venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem. ℣. Vnus autem ex illis Caiphas nomine, cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit dicens: Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Ab illo ergo die cogitauerunt interficere eum, dicentes: Et venient.

Vel aliud Responsorium.

In monte Oliueti orauit ad Patrem: Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, fiat voluntas tua. ℣. Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: fiat voluntas tua.

Postea legitur Euangelium.

Sequen-

Sequentia sancti Euangelij secundùm Matthæum.

IN illo tempore: Cùm appropinquasset IESVS Hierosolymam, & venisset Betphage ad montem Oliueti, tunc misit duos discipulos suos, dicens eis: Ite in castellum, quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea. Soluite & adducite mihi. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet: & confestim dimittet eos. Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur, quod dictum est per Prophetam, dicentem: Dicite filiæ Sion, ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum, filium subiugalis. Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præceperat illis Iesus. Et adduxerunt asinam & pullum: & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via. Alij autem cædebant ramos de arboribus; & sternebant in via. Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, dicentes: Osanna Filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini

Posthæc benedicuntur rami: & tunc dicit Sacerdos in tono, quo dicuntur Orationes per horas diei.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

AVge fidem in te sperantium Deus, & supplicum preces clementer exaudi: veniat super nos multiplex misericordia tua: bene ✠ dicantur & hi rami arborum: & sicut in figura Ecclesiæ multiplicasti Noë egredientem de arca, & Moysen exeuntem de Ægypto cum filijs Israel: ita nos portantes ramos arborum, bonis actibus occurramus obuiam Christo: & per ipsum in gaudium introeamus æternum. Qui tecum viuit & regnat, in vnitate Spiritus sancti Deus.

Per om-



San-

Sanctorum tuorum: tibi enim ſeruiunt crea turæ tuæ:

quia te ſolum auctorẽ & Deum cognoſcũt:& omnis factu-



ra tua te collaudat,& benedicunt te ſancti tui. Quia



illud magnum vnige niti tui nomen coram regibus &



poteſtatibus huius ſæculi, libera voce confitentur. Cui

aſſiſtunt Angeli & Archangeli: Throni & Dominationes.

Cùmq; omni mili ti a cæleſtis exercitus, hymnũ gloriæ

tuæ con-

Cantatur Sanctus à Choro, vt ſequitur.

tuæ concinunt, ſine fine dicentes.



S anctus. Sanctus. Sanctus Dominus Deus Sabbaoth.



Pleni ſunt cœli & terra glori a tua. Oſanna



in excelſis. Benedictus qui venit in nomine Do-

mini. Oſan na in excel ſis.

Sequitur Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEvs, qui diſperſa congregas,& congregata conſeruas: qui populis obuiã Ieſu ramos portantibus benedixiſti, bene ✠ dic etiam & hos ramos arborum, quos tui famuli ad honorem nominis tui ſuſcipiunt, vt in quemcunq; locum introducti fuerint, tuam benedictionem habitatores loci illius conſequantur, & omni aduerſitate effugata, dextera tua protegat, quos redemit Ieſus Chriſtus Filius tuus Dominus noſter: qui tecum viuit, &c.

Oremus.

O remus.

DEvs, qui miro dispositionis ordine, ex rebus etiam insensibilibus dispensationem nostræ salutis ostendere voluisti: da quæsumus, vt deuota tuorum turba fidelium salubriter intelligat, quicquid mysticè designatur in facto, quæ hodie cœlesti lumine afflata, redemptori obuiam procedens, palmarum atque oliuarum ramos vestigijs eius substrauit. Palmarum igitur rami de mortis principe triumphos expectant; surculi verò oliuarum, spiritâlem vnctionē aduenisse quodammodo clamant. Intellexit enim iam tunc illa hominum beata multitudo præfigurari, quia redemptor noster humanis condolens miserijs, pro totius mundi vita cum mortis principe esset pugnaturus, ac moriendo triumphaturus. Et ideo talia obsequens administrauit, quæ in illo & triumphos victoriæ, & misericordiæ pinguedinem declararent. Quod nos quoq; plena fide & factum, & significatum retinentes, te, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per eundem Dominum nostrum Iesum Christum suppliciter exoramus: vt in ipso, atq; per ipsum, cuius nos membra fieri voluisti, de mortis imperio victoriam reportantes, ipsius gloriosæ resurrectionis participes esse mereamur. Qui tecum viuit & regnat, &c.

O remus.

DEvs, qui per oliuæ ramum pacem terris columbam nunciare voluisti: præsta quæsumus. vt hos arborum ramos, cœlesti benedictione sanctifices, vt cuncto populo tuo proficiant ad salutem. Per Christum Dominum nostrum.

O remus.

BEne ✠ dic, quæsumus Domine, hos arborum ramos: & præsta, vt quod populus tuus in tua veneratione hodierna die corporaliter agit, hoc spiritualiter summa deuotione perficiat, de hoste victoriam reportando, & opus misericordiæ summoperè diligendo. Per Christum Dominum nostrum.

Hic

Hic rami asperguntur aqua benedicta, dicendo Antiphonam: Asperges me. sine cantu, & sine Psalmo: & incensantur rami.

Deinde dicit Sacerdos: Dominus vobiscum.

O remus.

DEvs, qui filium tuum Iesum Christum Dominum nostrum, pro salute nostra in hunc mundum misisti, vt se humiliaret ad nos, & nos reuocaret ad te, cui etiam dum Hierusalem veniret, vt adimpleret scripturas, credentium populorum turba, fidelissima deuotione, vestimenta sua cum ramis palmarum in via sternebant: præsta quæsumus, vt illi fidei viam præparemus, de qua, remoto lapide offensionis, & petra scandali, frondeant apud te opera nostra iustitiæ ramis, vt eius vestigia sequi mereamur. Qui, &c.

Repræsentationem solennis Christi Hierosolymam ingressus, & alia similia, feruens olim populi deuotio, non sine spirituali fructu in hac Prouincia introduxerat. Nunc refrigescente charitate, siquidem tantæ pietati plerunq; fastus & tumultus, non sine aduersariorum scandalo successerint; expediret Processionem, absq; patrio apparatu, iuxta præscriptum Missalis Rom: peragere. Tempori tamen, ex sæpè dictis rationibus seruiendo, ritum hunc tot sæculis vsurpatum, sicut nouissimè reperimus descriptum, hic ponimus. Sublato igitur omni tumultu, & irreuerentia, quæ maximè in circumductione asini committi solet, quæ etiam ideò satius esset omittenda; ordinetur puerorum chorus, modestè, non composè, multò verò minus fœmineo, ne dicam scænico fastu adornatus: & facto moderato circuitu, qui cantui respondeat, sistatur Processio ante imaginem Crucifixi: cuius opertorium, non in modum sepulchri, sed tabernaculi quasi arcus triumphalis honorati, debet componi. Expediantur tandem reliqua, modo infrascripto, vsitato, breuiter tamen, ne tempus, ad Sacramenta populo tunc confluenti ministranda, extrahatur.

Responsorium in egressu templi.

CVm appropinquaret Dominus Hierosolymam, misit duos ex discipulis suis, dicens: Ite in castellum, quod contra vos est, & inuenietis pullum asinæ alligatum, super quem nullus hominum

 sedit,

ſedit, ſoluite, & adducite mihi. Si quis vos interrogauerit, dicite, opus Domino eſt. Soluentes adduxerunt ad Ieſum, & impoſuerunt illi veſtimenta ſua, & ſedit ſuper eum.

Pueri ſtantes ante crucem, cantant hos verſus ſequentes, choro hoc idem poſt eos repetendo.

Alij expandebant veſtimenta ſua in via. Alij ramos de arboribus proſternebant; & qui ſequebantur clamabant, Oſanna: Benedictus qui venit in nomine Domini. Chorus. Benedictum regnũ patris noſtri Dauid: Oſanna in excelſis. Miſerere nobis fili Dauid.

Antiphonam hanc etiam chorus cantat. Cùm audiſſet populus quia Ieſus venit Hieroſolymam, acceperunt ramos palmarum, & exierunt ei obuiam, & clamabant pueri dicentes: Pueri cantant:

Hic eſt, qui venturus eſt in ſalutem populi.

℣. Hic eſt ſalus noſtra, & redemptio Iſrael.

℣. Quantus eſt iſte, cui throni & dominationes occurrunt.

℣. Noli timere filia Sion, ecce Rex tuus venit tibi, ſedens ſuper pullum aſinæ, ſicut ſcriptum eſt.

℣. Salue Rex, fabricator mundi, qui veniſti redimere nos.

Antiphona hæc per chorum canitur.

ANte ſex dies ſolennis Paſchæ, quando venit Dominus in ciuitatem Hieruſalem, occurrerunt ei pueri, & in manibus portabant ramos palmarum, & clamabant voce magna, dicentes: Oſanna in excelſis. Benedictus qui veniſti in multitudine miſericordiæ tuæ, Oſanna in excelſis.

Dum canitur ſupraſcripta Antiphona, Cantores vel pueri intrant in Eccleſiam, vel aliquem competentem locum, & cantant Hymnum:

Gloria, laus, & honor, tibi ſiit Rex Chriſte redemptor, Cui puerile decus prompſit Oſanna pium.

Sacerdos verò cum alijs ſtantibus extra Eccleſiam, repetit illud idem. Deinde ſtantes intus, cantant verſus ſequentes.

Iſrael

Iſraël es tu Rex Dauidis, & inclyta proles, nomine qui in Domini Rex benedicte venis. Chorus. Cui pueri, &c. Pueri.

Cœtus in excelſis te laudat cælitus omnis: & mortalis homo, & cuncta creata ſimul. Chorus. Gloria laus. Pueri.

Plebs Hebræa tibi cum palmis obuiam venit: cum prece, voto, hymnis aſſumus ecce tibi. Chorus. Cui puerile. Pueri.

Hi tibi paſſuro ſoluebant munia laudis: nos tibi regnanti pangimus ecce melos. Chorus. Gloria laus. Pueri.

Hi placuêre tibi, placeat deuotio noſtra: Rex pie, Rex clemẽs, cui bona cuncta placent. Chorus. Cui puerile decus.

Iterum Cantores vel pueri reincipiunt altiori voce: Gloria laus. Chorus proſequitur ad finem.

Finito Hymno, pueri ad hoc deſtinati, & induti, ramis arborum ad pedes ſtratis, canunt hanc Antiphonam.

Pueri Hebræorum, tollentes ramos oliuarum, obuiauerunt Domino, clamantẽs & dicentes: Oſanna in excelſis.

Chorus eandem Antiphonam reſumit. Poſtea ijdem pueri habentes ſtrophiola alba ad collum applicata, canunt:

Pueri Hebræorum, veſtimenta proſternebant in via, & clamabant dicentes: Oſanna filio Dauid.

Procumbentes in genua plicatis manibus, Benedictus qui venit in nomine Domini; Chorus repetit. Deinde pueri bini & bini, tenentes flores in corbulis, progredientes, & ſpargentes flores, trina vel vnica voce canunt:

Occurrunt turbæ cum floribus & palmis redẽptori Domino. Chorus proſequitur: Et victori triumphanti digna dant obſequia, filium Dei olim gentes prædicant, & in laudem Chriſti voces tonant per nubila, Oſanna.

Finita Antiphona, duo vel quatuor Scholares adulti, procidendo, vel genu flectendo, canunt Antiphonam.

Fulgentibus palmis proſternimur aduenienti Domino. Huic omnes occurramus cum Hymnis & canticis, glorificantes & laudantes.

dantes. Benedictus Dominus. Chorus repetitur: Fulgentibus:

Deinde ad crucem Prælatus officians accedens cum Ministris, flexis genibus palma ter tangit imaginem crucifixi, ter cantando hanc Antiph:

Scriptum est enim, percutiam pastorem. Chorus ad finem prosequitur: Et dispergentur oues gregis: postquam autem surrexero, præcedam vos in Galilæam: ibi me videbitis, dicit Dominus.

Post hoc Prælatus cum duobus Presbyteris, imaginem crucifixi in altum leuando, cæteris omnibus genuflexione adorantibus, cantat bina vice: O crux aue spes vnica. Tertia vice: Te summa Deus Trinitas. Chorus cantat hos versus ad finem. Demum cruce in loco posita, & thurificata, ac exosculata, redeunt ad Ecclesiam cantando Responsorium.

INgrediente Domino in sanctam ciuitatem, Hebræorum pueri resurrectionem vitæ pronunciantes, Cum ramis palmarum Osanna clamantes in excelsis. ℣. Cùmq; audisset populus, quia Iesus venit Hierosolymam, exierunt obuiam ei. Cum ramis.

℣. Erue à framea Deus animam meam.

℟. Et à cornibus vnicornium humilitatem meam.

Oremus.

DEus, qui nos regendo conseruas, parcendo iustificas, per passionem vnigeniti Filij tui Domini nostri Iesu Christi, à temporali tribulatione nos eripe, & æterna nobis gaudia largire. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

Vel ista.

ADiuua nos, quæsumus, Domine Deus noster, & ad beneficia tua recolenda, quibus nos instaurare dignatus es, tribue venire gaudentes. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

DE FERIA QVINTA
COENÆ DOMINI.

HVius diei, & duorum sequentium, Matutinum cum Laudibus absoluitur pridie Vesperi. In quo seruetur præscriptum Breuiarij Romani, nisi quod Lamentationes primorum Nocturnorum, vbi fieri potest, decantantur ante maius altare notis infra positis. Tropi autem in fine à pueris cani consueti, post finitum officium absoluantur, sublata irreuerentia, & nimio prolixoque fragore pueris prohibito.

Lamentationes Hieremiæ Prophetæ.

PRIMA.



ſub tributo. Beth. Plorans plora-

uit in nocte, & lachrymæ eius in maxillis eius. Non



eſt qui conſole tur eam ex omnibus charis eius.



Omnes amí ci eius ſpreuerũt eam, & facti

ſunt e i inimíci. Gimel.

Migrauit Iudas propter afflictionem, & multitúdinem ſer-

uitu tis, habitauit inter gentes, nec inuenit requiem.

Omnes



Omnes perſecutóres eius apprehẽderunt

eam inter angústias. Daleth.

Viæ Sion lugent, eò quòd non ſint, qui véniant ad ſo-

lemnitatem. Omnes portæ eius deſtrúctæ: Sa-

cerdótes eius gementes, vírgines eius ſquálidæ, & ipſa

oppréſſa amaritúdine. He.

Facti ſunt hoſtes eius in capite, inimí ci eius locuple-

tati ſunt.

ta ti ſunt: quia Dóminus locûtus eſt ſuper eam pro-

pter multitúdinem iniquitâtum eius. Par-

uuli eius ducti ſunt in captiuitatem ante fáciem tribu-

lántis. Ieru ſalem, Ieru ſalem, conuerte-

SECVNDA.

re ad Dóminũ Deum tuum.

V Au. Et egreſ ſus eſt à

fili a Sion omnis decor e ius: facti ſunt

Princi-

Principes eius, velut a ri e tes non inuenien tes pá-

ſcua: & a bi e runt abſque forti-

tu dine ante fa ciem ſubſe quen-

tis. Z ain. Recorda ta eſt

Ierúſalem diêrum afflicti onis ſu æ,

& præuaricati ônis ómnium de ſide rabilium ſuórum,

quæ habúerat à diebus antiquis, cùm cáderet pópulus

eius in

eius in manu hostili, & non es set auxili a-

tor. Vide runt eam ho stes,&

derisérunt Sabbatha e jus. H eth.

Pecca tum peccauit Ieru sa-

lem,proptere a insta bilis facta

est. Omnes qui glori ficábant eam spreuerunt

il lam; quia vidérunt ignominiam eius.

Ipsa au-

Ipsa autem gemẽs,conuersa est retror-

sum. T eth. Sordes eius in

pedibus e ius,nec recordâ ta est fi-

nis su i. Depo sita est vehemẽter,non

ha bens consolatô rem. Vide Dómine

afflictiónem me am,quo niam ere ctus

est inimi cus. Ieru salem,Ieru-

salem,



sa lem, conuer tere ad Dominum De um

tu um.

TERTIA.

I

Od. Manum suam misit



ho stis ad ómnia desiderabi li a



eius: quia vidit gentes ingressas Sanctua-



rium su um, de quibus præcéperas ne



intrárent in Eccle siam tuam.

C aph.



C aph. Omnis pópulus eius gemens



& quærens panem,



dederunt præciô sa quæ que pro ci bo



ad refocil lan dam animam. Vide



Domine, & consi dera, quo niam fa-



cta sum vilis. L amed.



O vos omnes, qui transi tis per viam attendi-

te, &

te & vidê te, si est dólor sicut

do lor meus: quo niam vindemiauit me

vt locû tus est Do minus in die

furo ris sui. M em.

De excelso misit ignem in ossibus

me is, & e ru diuit me:

expandit rete pedibus me is, conuer tit

me re-

me retrorsum. Po suit me desolá-

tam, tota di e mœro re confe-

ctam. N un. Vigi-

lauit iugum iniqui tatum meârum: in manu e-

ius conuolutæ sunt & impositæ collo me-

o: infirmata est virtus me-

a: dedit me Dominus in manū, de qua non po-

tero sur-


tero surgere. Ieru salem, Ieru-


sa lem, conuertere ad Dominum


Deum tuum.

QVARTA.


DE lamentati one Hieremi æ Prophe tæ.


Heth. Cogitauit Dominus

dissi pâ re murum fi liæ Si on, tetendit fu-


niculum su um, & non auer tit manum
suam à


su am à perditio-

ne: luxitque antemura le, & mu-


ruspa riter dissipa tus est. Teth.

Defixæ sunt in ter-


ra portæ e ius:per didit

& contriuit vectes e ius, Regem e-


ius, & Principes eius in gen tibus. Non
est lex,



est lex & Prophetæ e ius nõ inuene-



runt visionem à Do mino. I od.



Sede runt in ter-



ra, conticuérunt senes fi li æ Si-



on: consperserunt ci nere capita su-



a: accincti sunt ci li cijs: abie-



cerunt in terra capi ta su a vir gi-

nes Iu-



nes Iu da. C aph.



Defecerunt præ lachrymis oculi me-



i: conturbata sunt viscera me-



a: Effusum est in terra iecur me-

um, super contritionem fi li æ populi me-

i, cùm defi ceret par uu-

lus, & lactens in plateis op pidi. Ieru-

salem,



ſalem, Ie ru ſalem, conuertere ad Domi-



num Deum tu um.

QVINTA.



Amed. Ma tribus

ſu is dixerunt, v bi eſt triticum, & vi-

num? cùm deficerent quaſi vulnerati in plateis



ciuita tis, cùm exhala rent animas ſuas



in ſinu matrum ſua rum. Mem.

Cui com-



Cui comparabo te



vel cui aſſimilabo te fi li a Ie ru-

ſalem? cui exæquabo te, & conſola bor te fili-



a Si on? Magna eſt enim velut mare contri-



tio tu a: quis medebitur tu i?



Nun. Prophetæ tui

viderunt ti bi falſa & ſtulta, nec ape rie bant ini-

m quita-



quitatem tu am, vt te ad pœnitenti-



am prouoca rent. Viderunt autem ti bi



assumptiones falsas & e iectio-



nes. Samech. Plau-

serunt super te manibus omnes transeun tes per vi-

am, sibila uerunt & mouerunt capita



sua super filiam Ieru salem. Hæc cine est vrbs



est vrbs, dicentes, perfecti deco ris gau dium v-

ni uer sæ ter ræ. Ieru salem, Ie-



ru salem, conuer tere ad Domi-

num Deum tu um.

SEXTA.

A Leph. Ego

vir videns paupertátem me am, in vir-



ga indignatio nis eius.

A leph.



A leph. Me mináuit



& addu xit in te nebras, &

non in lucem. A leph.



Tantum in me



ver tit & conuertit manum ſuam

tota die. B eth.

Vetuſtam fecit pel-

lem me-



lem meam, & carnem me am? contri-

uit oſſa mea. B eth.



Ædifica uit in

gyro me o, & circumdedit me fel-

le & la bore. B eth.

In tenebro ſis col-

locâ uit me, quaſi mortuos ſem-

piter-

pi ter nos. G imel.

Circumædifi cáuit

aduérsum me, vt non egre diar,

aggrauauit compedem meum.

G imel.

Sed & cùm clamauero, & roga-

uero, exclu sit ora tionem meam,

G imel.

Gimel.

Conclû sit vi as meas lapidibus qua-

dris, se mitas meas sub uer-

tit. Ieru salem, Ieru-

salem, conuerte re ad Dóminum Deum

tuum.

SEPTIMA.

DE lamentati o ne Hieremiæ

Prophe-

Prophe tæ. Heth.

Miſe ricor diæ Do mini, quia non ſumus

conſum pti. quia non defece runt miſera-

tiones eius. Heth.

Noui dilu culo, mul-

ra eſt fides tua. Heth.

Pars mea Dominus, dixit

anima

anima me a, propterea expecta bo

e um. Teth.

Bonus eſt Dominus ſperantibus in e-

um, animæ quæren ti illum.

Teth. Bonum eſt

præſtolari cum ſilen tio, ſalutare

De i. Teth.

n

Bonum



Dabit



tus eſt


tus est color o ptimus, disper-


si sunt lapides san ctua rij in ca-

pite ómnium pla tearum?

Beth.

Fi lij Sion in clyti, & ami-

cti auro primo; quo modo re-

puta ti sunt in vasa te stea, opus

manu-

manuum fi guli?

Gimel. Sed &

lami æ nuda uerunt mam mam, lacta-


uerunt catulos su os: fi lia


po puli mei crude lis, quasi stru-

thio in de ser to.

Daleth. Adhæ sit

lingua

lingua la cten tis ad pala tum eius,

in siti: par uuli peti-

erunt pa nem,& non erat qui

frangeret e is.

He. Qui vesceban-

tur volu ptuo sè, interierunt

in vi is: qui nutriebantur in cro-

ceis,

ceis, amplexa ti sunt ster-

cora. V au.

Et maior esse cta est ini qui-

tas fi li æ populi me i pecca-

to Sodomo rum:quæ subuersa

est in momen to, & non cœpe-

runt in ea ma nus.

Ieru-

In Sabbatho autem pro tertia lectione dicitur Oratio eiuſdem Prophetæ: quam maior Prælatus enunciare conſueuit; vt infra notatur.













compa ra uimus. Cerui ci-

bus nostris mina ba mur: lassis


non da batur re quies.

Ægy pto de dimus manum, & Af sy-

rijs, vt satu rare mur pa-


ne. Patres nostri peccauerunt,

& non sunt, & nos iniquita tes

corum

eorum porta uimus.

Serui dominati sunt no stri:

non fu it qui redi meret de manu eo-

rum. In a nimabus no-


stris affere bamus panem no bis

à fa cie gladij in de ser-

to. Pellis nostra quasi cli-

banus exu sta est à fa cie tempe sta-

tum fa mis. Muli-

eres in Sion humilia ue-

runt,& vir gines in ciuita tibus Iu-

da. Ieru salem,Ieru-

salem, conuer tere ad Dominum

Deum tu um.

In Ma-

In Matutinis tenebrosis, Feria Quinta, ad Tropos Versus primus.

IEsv Chri ste qui pas surus ad ue-

ni sti propter nos.

Qui pro pheti cè promi si sti, ero mors

tu a ô mors.

Qui ex pan sis in cru ce ma nibus,traxi sti

o mnia ad te sæ cula.

Similiter

Similiter in Matutinis Feriæ Sextæ, & Sabbathi, Sabbatho tamen loco tertij Versus canitur iste.



DE ABSOLVTIONE PVBLICÈ PŒNITENTIUM, in die Cœnæ Domini.

HAc die refertur quoddam vestigium, publicæ pœnitentiæ, olim in Ecclesia frequentatæ, in publicis homicidiis. Quorum receptio & absolutio fieri non debet, nisi in Metropolitanis atq; Cathedralibus Ecclesiis, ab Episcopis, vel eorum Suffraganeis, ex præscripto Pontificalis reformati. Monendi sunt autem Confessarij, ne ob occulta homicidia & casualia, qualia plerunq; mulierculis abortientibus inesse solent, talem pœnitentiam indicent, sicut nec occultè, quamuis enormiter, peccantibus, ne peccatum illorum prodant. sed potius ipsi, & Concionatores, dent operam; vt non solùm sanguinarij, sed etiam publici blasphematores, temerè peierantes, venefici, raptores, adulteri, vsurarij, & simoniaci, & quidem notorij, tali pœnitentiæ subijciant.

DE CONSECRATIONE ET depositione Hostiarum.

VLtra duas hostias, quas Missale Romanum in Missa diei consecrare præscribit, consecretur tertia, quæ ad diem Paschæ in sepulchro remaneat. Depositio autem harum, & aliarum sacrarum hostiarum, fiat ex præscripto Missalis Romani; similiter iuxta illud terminetur pulsus campanarum, Vesperæ, & aliæ reliquæ cæremoniæ obeantur.

DE DE-

DE DENVDATIONE LOTIONEQVE Altarium, & Oleis sacris.

FInita Missa, Sacerdos, & ministri, depositis superioribus vestibus sacris, in albis denudant Altaria, legendo prius Antiphonam: Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem; *cum toto Psalmo xxi.* Deus, Deus meus, respice in me, &c. *absque* Gloria Patri. *Lotio autem eorundem altarium, cùm secundùm Rationale Durandi,* lib: 6. cap: 86. *magis fiat propter mysterium, quàm ministerium, expediatur saltem cum modica quantitate vini & aquæ; ne nimia humectatio altaribus eiusq; tegumentis noceat. Eodem quoq; die comburenda sunt Sacra Olea præterita, videlicet chrismatis, catechumenorum, & infirmorum: reseruatis tamen eorum particulis, propter emergentem necessitatem, vbi noua statim haberi non possunt; postquam verò allata fuerint, mox comburendis. Similiter receptacula eorum per Sacerdotem vel Diaconum sunt expurganda. Combustio autem satius fiat in lapide propter hoc in loco peculiari asseruando, ne altaribus lapideis, vel interdum ligneis pauimentis, ignis vim vel turpitudinem inferat.*

De mandato & lotione pedum.

Obseruetur circa istam cæremoniam forma in Missali Romano præscripta.

DE FERIA SEXTA PARASCEVES.

COmpletis Orationibus, Sacerdos deposita casula accedit ad cornu Epistolæ, & ibi in posteriori parte anguli Altaris, accipit à Diacono Crucem iam in Altari præparatam, quam versa facie ad populum, à summitate parum discooperit, incipiens solus Antiphonam: **Ecce lignũ crucis.** ac deinceps in reliquis iuuatur in cantu à ministris, vsq; ad **Venite adoremus.** Choro autem cantante, **Venite adoremus.** omnes se prosternunt, excepto Celebrante. Deinde procedit ad anteriorem partem anguli eiusdem cornu Epistolæ, & discooperiens brachium dextrum Crucis, eleuansq; eam paulisper altius quàm primò, incipit, **Ecce lignum crucis.** alijs cantan-

cantantibus & adorantibus, vt ſuprà. Deinde Sacerdos procedit ad medium altaris: & diſcooperiens crucem totaliter, ac eleuans etiam tertiò, altiùs incipit: **Ecce lignum crucis.** alijs cantantibus & adorantibus, vt ſuprà.



Sequatur Proceſſio cum imagine crucifixi, in quo cantantur improperia.



de terra



Quo finito, progrediuntur paulatim omnes, cantantibus pueris:



Quo cantu finito, ſiſtatur tota præcedens Proceſſio, & conuertitur facie ad crucem: & mox eandem Antiphonam repetit Chorus, Latinè canendo.





Sanctus & immorta lis, mi-



se re re no bis.

Secundum Improperium

Q Vi a e du xi

te per deser tum quadraginta annis, &

man na ci ba ui te, & intro du xi

te in terram satis bo nam pa ra sti

Pueri.

Cru cem Sal uato ri tu o,

Agios



Chorus.

A gi os. S anctus De us, vt supra.

Tertium Improperium.

Q Vid vl tra de bui fa ce-



re tibi, quod non fe ci? E go qui dem

plan ta ui te vnicam me am spe cio-

sissimam, & tu fa cta es mi hi ni mis a-



mara: ace to namque sitim me am po ta sti,



& lan ce a perfo ra sti la tus Sal uato-

ri tuo.



Verſus ſequentis improperij, à duobus Cantoribus alternatim cantantur, vtroq; choro ſimul repetente poſt quemlibet verſum; Popule meus. vſque ad Quia eduxi te de terra Ægypti.

Duo de ſecundo choro cantant. ℣. Ego propter te flagellaui Ægyptum cum primogenitis ſuis: & tu me flagellatum tradidiſti. Chorus repetit: Popule meus.

Duo de primo choro. ℣. Ego eduxi te de Ægypto demerſo Pharaone in mare rubrum: & tu me tradidiſti Principibus Sacerdotum. Chorus. Popule meus.

Duo de ſecundo choro. ℣. Ego ante te aperui mare: & tu aperuiſti lancea latus meum. Chorus. Popule meus.

Duo de primo choro. ℣. Ego ante te præiui in columna nubis: & tu me duxiſti ad Prætorium Pilati. Chorus. Popule meus.

Duo de ſecundo choro. ℣. Ego te paui manna per deſertum: & tu me cecidiſti alapis & flagellis. Chorus. Popule meus.

Duo de primo choro. ℣. Ego te potaui aqua ſalutis de petra: & tu me potâſti felle & aceto. Chorus. Popule meus.

Duo de ſecundo choro. ℣. Ego propter te Chananæorum Reges percuſſi: & tu percuſſiſti arundine caput meum. Chorus. Popule meus.

Duo de primo choro. ℣. Ego dedi tibi ſceptrum regale: & tu dediſti capiti meo ſpineam coronam. Chorus. Popule meus.

Duo

Duo de ſecundo choro. ℣. Ego te exaltaui magna virtute: & tu me ſuſpendiſti in patibulo crucis. Chorus. Popule meus.

Deinde cantatur communiter Antiphona.



Et repetitur immediatè Antiphona Crucem tuam, &c.

His can-

His cantatis, celebrans depositis calceamentis, ad adorandam crucem in medio Ecclesiæ decenter positam, accedit, & ter genua flectens, eam deosculatur. Hoc facto reuertitur, &c. vt in Missali Romano.

Interim dum fit adoratio crucis, cantantur Hymni.



Pange lingua gloriosi prælium certaminis, & super crucis trophæo dic triumphum nobilem, qualiter redemptor orbis immolatus: vicerit. Repetitur. Crux fidelis. vsq; ad Dulce lignum. Et sic fit, quoties repetitur Crux fidelis.

De parentis protoplasti fraude factor nondolens: quando pomi noxialis morsu in mortem corruit; ipse lignum tunc notauit, damna ligni vt solueret. Repetitur, Dulce lignum.

Hoc opus nostræ salutis ordo depoposcerat, multiformis proditoris ars vt artem falleret: & medelam ferret inde hostis vnde læserat. Repetitur, Crux fidelis. Quan-

Quando venit ergo sacri plenitudo temporis, missus est ab arce patris natus, orbis conditor: atq; vētre virginali caro factus prodijt. Repetitur, Dulce lignum. Vagit infans inter arcta cōditus præsepia: membra pannis inuoluta, virgo mater alligat: & manus, pedesque, crura stricta cingit fascia. Repetitur, Crux fidelis.

Lustris sex, qui iam peractis, tempus implens corporis: se volēte natus ad hoc, passioni deditus; Agnus in cruce leuatur immolādus stipite. Repetitur, Dulce lignum. Hic acetum, fel, arundo, sputa, claui, lancea: mite corpus perforatur; sanguis vnda profluit; terra, pontus, astra, mundus, quo lauantur flumine. Repet. Crux fid.

Flecte ramos arbor alta, tensa laxa viscera: & rigor lentescat ille, quem dedit natiuitas; vt superni membra Regis miti tendas stipite. Repetitur, Dulce lignum.

Gloria & honor Deo vsquequaq; altissimo; vnà Patri, Filioque, inclyto Paraclito, cui laus est & potestas per æterna sæcula. Amen.

Finita adoratione crucis, & Hymno prædicto, secundùm temporis opportunitatem, accenduntur candelæ in altari: & à loco crucis, commodius quàm ab altari, cum eadem cruce, ordinetur Processio iuxta Missale Romanum, secundùm sufficientiam ministrorum & apparatus; primò quidem ad locum Sacramenti, exinde verò accepta vtraq; hostia, & alijs pro sufficientia communicantium ad maius Altare. In egressu autem à loco Sacramenti, canitur à choro Hymnus: Vexilla Regis prodeunt. cum aliquot alijs præsertim vltimis Versibus. Postea perficiuntur reliqua Missæ, ex eodem Missali Romano, vt sequitur.

Cùm venerit Sacerdos ad Altare, posito super illud Sacramento, genuflexus rursus incensat, & vnam hostiam maiorem in suo loco relinquit, alteram verò ponit super patenam, quam Diaconus tenet. Deinde accipiens patenam cum Sacramento de manu Diaconi, hostiam sacram ponit super corporale nihil dicens: interim Diaconus imponit vinum in calicem, & Subdiaconus aquam; Sacerdos accipiens calicem à Diacono, ponit super Altare, nihil dicens, & Diaconus illum cooperit: deinde imponens incensum in thuribulo, incensat oblata & altare, more solito, dicens: In censum istud, &c.

Ordo Missæ hac die petatur ex Missali Romano. Post

Post Missam, finitis Vesperis sine cantu, Sacerdos accipit hostiam maiorem relictam, honestè inclusam & velatam. Aliquis autem cum ministris præcedit cum cruce, & relicto apparatu sicut priùs: & progrediuntur ad sepulchrum præparatum, in quo cum reuerentia & thurificatione, reponit primò Corpus Christi; deinde loco competenti crucem ipsam, & signat sigillo, vel aliqua clausura: deinde disceditur relicto cantu continuo Psalmorum, vbi fieri potest, vbi priùs hostia, quæ à communione remansit, fuerit reuerenter in locum suum reposita. Initio autem talis Processionis, canitur à choro: **Recessit Pastor noster, &c. Ecce quomodo moritur iustus, &c. Sepulto Domino, &c.** vt sequitur.





percipit cor de: & viri iu sti tollun-

tur, & ne mo con si derat:

à facie iniquita tis subla-

tus est iu stus. Et e rit

in pa ce me mo ria e ius.

℣ Tãquam a gnus corã tondente se obmu-

tuit, & non aperuit os su um: De an gustia

& de iu

& de iudicio subla tus est. Et.

S Epulto Do mino, signatũ est monumen-

tum, vol uen tes la pidem ad o sti-

um monumen ti. Po nen tes mi-

lites qui custodirent il lum.

℣ Acceden tes principes sacerdotum ad Pi la-

tum, petie runt il lum. Ponen.

Vel si videbitur in cantu figurali, vt sequitur.

SVPERIVS.



TENOR.



ALTVS.

Vel si videbitur in cantu figurali, vt sequitur.

ALTVS.



BASSVS.



SEQVITVR

SECVNDA PARS.

SVPERIVS.



TENOR.



ALTVS.

ALTVS.



BASSVS.



SVPE-

SVPERIVS.

E Cce quomodo moritur iustus, & nemo percipit corde:

ij viri iusti tolluntur, & nemo considerat: à

faci e iniqui ta tis sublatus est iustus, & erit in pace me-

mo ri a eius. ij

TENOR.

E Cce quomodo moritur iu stus & nemo

percipit corde: ij viri iusti tolluntur, &

ne mo considerat: à fa ci e iniqui ta tis sublatus est iu-

stus, & erit in pace memori a e ius. ij

ALTVS

ALTVS.

E Cce quomo do mo ritur iu stus, & nemo percipit corde:

vi ri iusti tolluntur & nemo cõsiderat, à

faci e iniquita tis sublatus est iustus, & erit in pace memori-

a eius ij

BASSVS.

E Cce quomodo mo ritur iustus, & ne mo percipit corde:

ij vi ri iusti tollun tur, & nemo considerat:

à fa ci e iniquita tis sublatus est iustus, & erit in pace me-

mo ri a eius. ij

SECVNDA PARS.

SVPERIVS.



TENOR.



Secunda

SECVNDA PARS.

ALTVS.



BASSVS.



SABBATO SANCTO.

Benedictio Ignis, Cerei & Fontis.

HOra competenti cooperiuntur Altaria, & dicuntur Horæ, candelis Altaris extinctis vsq; ad principium Missæ. Interim excutitur ignis de lapide foris Ecclesiam, & ex eo accenduntur carbones. Dicta Nona, Sacerdos indutus amictu, alba, cingulo, stola, & pluuiali violaceo, vel sine casula, astantibus sibi ministris cum Cruce, aqua benedicta, & incenso, ante portam Ecclesiæ, si commodè potest, vel in ipso aditu Ecclesiæ benedicit nouum ignem, dicens:

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

O remus.

DEus, qui per Filium tuum, angularem scilicet lapidem, claritatis tuæ ignem fidelibus contulisti, productum è silice, nostris profuturum vsibus, nouum hunc ignem san✠ctifica: & concede nobis, ita per hæc festa Paschalia cælestibus desiderijs inflammari, vt ad perpetuæ claritatis, puris mentibus, valeamus festa pertingere. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

O remus.

DOmine Deus, Pater omnipotens, lumen indeficiens, qui es cõditor omnium luminum: bene✠dic hoc lumen, quod à te sanctificatum atq; benedictum est, qui illuminasti omnem mundum, vt ab eo lumine accendamur, atq; illuminemur igne claritatis tuæ: & sicut illuminasti Moysen exeuntem de Ægypto, ita illumines corda & sensus nostros, vt ad vitam & lucem æternam peruenire mereamur. Per Christum, &c. ℟. Amen.

O remus.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicentibus nobis hunc ignem in nomine tuo, & vnigeniti filij tui Dei ac Domini nostri Iesu Christi, & Spiritus sancti, cooperari digneris: & adiuua nos contra ignita tela inimici, & illustra gratia cælesti. Qui viuis & regnas cum eodem vnigenito tuo, & Spiritu sancto, Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde benedicit quinq; grana incensi ponenda in Cereo, dicens absolutè hanc Orationem.

VEniat, quæsumus omnipotens Deus, super hoc incensum larga tuæ bene✠dictionis infusio, & hunc nocturnum splendorem inuisibilis regenerator accende: vt non solùm sacrificium, quod hac nocte litatum est, arcana luminis tui admixtione refulgeat; sed in quocunq; loco ex huius sanctificationis mysterio aliquid fuerit deportatum, expulsa diabolicæ fraudis nequitia, virtus tuæ maiestatis assistat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dum benedicit grana incensi, Acolythus assumens de carbonibus benedictis ponit in thuribulo: & finita Oratione supradicta, Sacerdos de navicula ponit incensum in thuribulo, benedicens illud more solito; deinde prædicta grana incensi, & ignẽ ter aspergit aqua benedicta, dicens: Asperges me. sine cantu, & sine Psalmo, & ter adolet incenso. Interim omnia luminaria Ecclesiæ extinguuntur, vt de igne benedicto postmodum accẽdantur. Tum diaconus indutus dalmatica albi coloris, accipit arundinem cum tribus candelis in summitate illius triangulo distinctis. Præcedit thuriferarius cum Acolytho deferente in vase quinq; grana incensi: sequitur Subdiaconus cum Cruce, & Clerus per ordinem: deinde Diaconus cum arundine, post eum Celebrans. Cùm Diaconus ingressus est Ecclesiam, inclinat arundinem, & Acolythus deferens candelam accensam de nouo igne, accendit vnam ex illis tribus candelis desuper positis, & Diaconus eleuans arundinem, genuflectit, similiter & omnes alij cum eo, præter Subdiaconum Crucem ferentem, & cantat solus.

Lumen Christi. ℟. Deo gratias.

Et pro-

Et procedens ad medium Ecclesiæ, ibi accenditur alia candela, & iterum genuflexus, vt supra, altiùs cantat: Lumen Christi. ℟. Deo gratias. Tertiò procedit ante Altare, vbi accenditur tertia candela, & rursus genuflexus vt priùs, adhuc altiùs dicit: Lumen Christi. ℟. Deo gratias. Deinde Celebrans ascendit ad Altare in cornu Epistolæ, & Diaconus dat arundinem vni Acolytho, & accipiens librum, petit à Celebrante benedictionem, vt it ad Euangelium, Sacerdote dicente: Dominus sit in corde tuo, & in labijs tuis, vt dignè & competenter annunties suum Paschale præconium: In nomine Patris, & Filij, ✠ & Spiritus sancti, Amen. Postea vadit ad pulpitum, & ponit super eo librum, & incensat. A dextris Diaconi stent; Subdiaconus cum Cruce, & thuriferarius: à sinistris duo Acolythi, ille qui tenet arundinem, & alius tenens in vase quinq; grana incensi benedicti figenda in Cereo. Tunc surgentibus omnibus, & stantibus, vt fit ad Euangelium, Diaconus cantat.

lustrata,

ritis in-

ritis intrà Leuitârum numerum dignátus est aggregá-

re; lúminis su i clari tátem infúndēs, Cerei huius

laudem implêre perfi ciat. Per Dóminum no-

strũ Iesum Christũ fi lium suum, qui cum eo viuit &

regnat in v nitâ te Spíritus sancti De us.

P er om nia sécula seculó rum. ℟. Amen. ℣. Dómi-

nus vo bí scum. ℟. Et cum spíritu tuo. ℣. Sur-

sum cor-

sum cor da. ℟. Habé mus ad Dómi-

num. ℣. Gra ti as a ga mus Do mino De o

no stro. ℟. Di gnum & iu stum est.

V erè dignum & iu stum est: inui sibi-

lem Deum Patrem omni potén tem, filiumque eius

vnigénitum Dóminũ nostrum Iesum Christũ, toto cor-

dis ac mentis af fé ctu, & vo cis ministéri o

persona-

per ſonâ re Qui pro nobis ætérno pa-

tri, A dæ dé bitum ſol uit: & véteris pi á-



culi cau ti ô nem pi o cruô re detér-



ſit. Hæc ſunt enim feſta Pa ſchá li a, in quibus

verus il le Agnus oc cí ditur, cuius ſán guine po-

ſtes fidé lium con ſecrán tur. Hæc Nox

eſt, in qua primum patres noſtros fi li os Iſra él edú-

ctos de

ctos de Æ gy pto, mare rubrum ſicco ve ſti gi o

transî re fecî ſti. Hæc í gi tur Nox

eſt, quæ peccatôrum té nebras, columnæ illumi natiô-

ne purgâ uit. Hæc Nox eſt, quæ hódi e per

vniuérſum mundum in Chriſto credén tes, à vi ti is

ſécu li, & ca lí gine peccatórum ſegre gá tos, red-



dit grá tiæ, ſó ciat ſan ctita ti. Hæc

Nox

Nox est, in qua destrúctis vinculis mortis, Chri-

stus ab in feris vi ctor ascén dit.

Nihil e nim nobis na sci pró fu it, ni si

ré dimi pro fu ís set. O mi ra cir-

ca nos tu æ pi e tá tis digná tio.

O in æ sti má bilis dilé ctio cha ri-

ta tis: vt ser uum re di meres, fi lium tra-

didisti.

didí sti. O cer tè necessárium Adæ

pec câ tum, quòd Chri sti morte delê tum

est. O felix cul pa, quæ talem ac tantum

mé ru it habêre re demptô rem. O ve-

rè beá ta Nox, quæ sola méruit scíre tempus

& ho ram, in qua Chri stus ab inferis re sur-

ré xit. Hæc nox est, de qua scriptum est:

& Nox ſicut dies il luminá bitur: & nox illu-



miná tio me a, in delí ci is me is.

Hu ius ígitur ſanctifi cati o No ctis, fu gat



ſcé le ra, culpas la uit; & reddit innocéntiam



la pſis, & mœ ſtis læti tiam. Fu-



gat ó di a, concórdiam pa rat, cur uat



impe ria.

Hic Diaconus infigit quinque grana incenſi benedicti iu Cereo in modum Cruçis.



In huius i gitur Noctis grá ti a, ſúſcipe



ſancte Pater incénſi huius ſacri ſicium veſpertí num:

quod tibi in hac Cére i oblati ône ſo le mni per

miniſtrôrum ma nus de o pé ribus a pum, ſacroſán-



cta reddit Eccle ſi a: Sed iam cólumnæ hu-



ius præcóni a nó uimus, quàm in honôrem De i



ru tílans i gnis accén dit.

Hic Diaconus accendit Cereum, cum vna ex tribus candelis in arundine positis.

Qui li-


Qui li cèt ſit diuíſus in par tes, mutuá ti tamen
lúminis detrimén ta non no uit. Alitur
enim liquántibus ce ris, quas in ſubſtántiam pretió-
ſæ huius lám padis apis ma ter edú xit.
Hic accenduntur lampades.
O ve rè be a ta Nox, quæ
expoli â uit Æ gy ptios, ditâ uit Hebræ os.
Nox, in qua terrénis cæ lé ſti a, humánis diui na
iungun-


iungún tur. Orâ mus ergo te Dó mine: vt Ce-
reus iſte in honórem tu i nóminis conſe crâ tus,
ad Noctis huius caliginem deſtruén dam, indeficiens
per ſeuê ret. Et in odórem ſu a uitátis ac-
cé ptus, ſupérnis luminaribus mi ſceá tur.
Flammas e ius Lú cifer, matuti nus in-
ué niat. Il le, inquam Lu cifer qui ne-
t ſcit oc-

ſcit occá ſum. Il le qui regreſſus ab in feris

humáno géneri ſerê nus il lu xit. Precá-

mur ergo te Dó mine: vt nos famulos tu os, omnem-

que clerum, & deuotíſ ſimum pó pulum: vná cum



be a tíſſimo Papa noſtro N. & Antíſti-



te noſtro N. quiête témporum conceſ-



ſa, in his Paſchalibus gáu di is, aſ sí du a protectiô-

ne rege-

ne re gere, guberná re, & conſeruâ re di-



gne ris. Ré ſpice e tiam ad Sereniſſimum



Regem noſtrum N. cuius tu Deus deſi dé-

ri i vota præ nó ſcens: inef fábi li pi e tatis, & mi-



ſe ricórdiæ tuæ mú nere, tranquíllum perpétuæ pa-



cis ac cómmoda: & cæléſtem victóri am cum omni



pó pu lo ſu o. Per eúndem Dôminũ noſtrum

Ieſum





Postea leguntur Prophetiæ sine titulo, vt in Missali Romano.

BENEDICTIO FONTIS.

HIs expletis, si Ecclesia habuerit fontem Baptismalem, Sacerdos benedicturus fontem, accipit pluuiale violaceum; & præcedente Cruce, cum candelabris, & Cereo benedicto accenso, descendit cum Clero & ministris paratis ad fontem: & interim cantatur sequens Tractus:

Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus. ℣. Sitiuit anima mea ad Deum viuum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? ℣. Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi per singulos dies: vbi est Deus tuus?

Deinde Sacerdos, antequam intret ad benedictionem fontis, dicit hanc Orationem iuxta fontem.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, respice propitius ad deuotionem populi renascentis, qui sicut ceruus, aquarum tuarum expetit fontem: & concede propitius, vt fidei ipsius sitis, baptismatis mysterio animam corpusq; sanctificet. Per Dominum, &c.

℟. Amen.

Postea procedit ad benedictionem fontis, dicens:

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, adesto magnæ pietatis tuæ mysterijs, adesto Sacramentis: & ad recreandos nouos populos, quos tibi fons baptismatis parturit, Spiritum adoptionis emitte; vt quod nostræ humilitatis gerendum est ministerio, virtutis tuæ impleatur effectu. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum: Qui tecum viuit & regnat in vnitate eiusdem Spiritus sancti Deus.

Eleuans vocem in modum Præfationis, prosequitur:







as agamus Dómino Deo nostro. ℟. Dignum & iu-

stum est. Verè dignum & iustum est, æquum & sa-

lu tâ re: nos tibi semper & vbíque grátias áge-

re, Dómine sancte Pater omnípotens, æterne Deus.

Qui inui sí bili poténti a Sacramentôrum tuôrum mi-

rabí liter ope râris effectum. Et licet nos tan-

tis mystéri is exequéndis simus indigni: tu tamen grá-

tiæ tuæ

tiæ tuæ dona non déserens, é tiam ad preces nostras

aures tuæ pi e tátis inclinas. Deus cuius spíri-

tus super aquas inter ipsa mundi primórdia ferebá-

tur: vt iam tunc virtûtem sanctifi cati ônis aquárum

natûra concipéret. Deus, qui nocéntis mundi crími-

na per aquas ábluens, regene ra ti ônis spéciem in

ipsa dilú uij effû si ône signâsti: vt v nius e-

iusdem-

iusdémq; elemén ti mystério, & finis esset viti is,

& o rigo virtútibus. Ré spice Dómine in fáciem

Ecclési æ tuæ, & multíplica in e a regenera ti-

ônes tuas, qui grátiæ tuæ affluén tis ímpetu læti-



ficas ciui tâtem tuam, fontemq; baptismatis áperis to-

to orbe terrárum géntibus innouándis: vt tu æ maie-

státis impéri o, sumat Vni géni ti tu i grátiam de

Spiritu

Hic Sacerdos manu extensa diuidit aquam in modum crucis, & eam statim linteo extergit, dicens:

Spiritu sancto,



Qui hanc aquam regenerándis homínibus præparátam,



arcána sui núminis admisti ône fœcúndet: vt san-

ctifi cati óne concépta, ab immaculá tó diui ni fontis



ú tero in nouam renâ ta creatúram, progénies cæle-



stis emérgat. Et quos aut sexus in córpore, aut



ætas discérnit in témpore, omnes in vnam pá ri at

gráti a mater infán tiam Procul ergo hinc, inbén-

te te Dómine omnis ſpíritus immundus abſcédat:



procul tota nequíti a di a bóli cæ fraudis abſiſtat.

Nihil hîc loci hábe at contráriæ virtútis admiſtio:



non inſi dian do circúmuolet: non laténdo ſubrêpat:



Aquam manu tangit.

non inſi ciéndo corrúmpat. Sit hæc ſan-

cta & innocens crea tûra, lí bera ab omni impugna-

toris in-

tôris incúrſu, & totî us nequíti æ purgâta diſcéſ-

ſu. Sit fons viuus, aqua regénerans, vnda pu-

rí ficans: vt omnes hoc lauácro ſa luti fero diluén-

di, o perânte in e is Spíritu ſancto, perfécta purga-

Facit tres cruces ſupra fontem, dicens:

ti ônis indulgéntiam conſequántur.



Vnde benedi co te crea tû ra aquæ, per Deum ✠

vi uum, per Deum ✠ ve rum, per Deum ✠ ſan-

ctum:

ctum: per Deum, qui te in princípio, verbo separâ-



uit ab á ꝛida: cuius spíritus super te ferebátur.

Hic manu aquam diuidit, & effudit eam versus quatuor mundi partes, dicens:

Qui te de para dísi: fonte



manâ re fecit, & in quátuor fluminibus totam terram



rigâ re præcêpit. Qui te ín deserto amâram, su-



a ui tá te índi ta fecit esse potábilem, & si ti én-

ti pópulo de petra prodúxit. Bene ✠ dico te,

& per



& per Iesum Christum Filium eius vnicum Dóminum no-



strum: qui te in Cana Galí le æ signo admirá bi li,



su a poténti a conuértit in vinum. Qui pédibus



super te ambu láuit: & á Ioánne in Iordâne in



te baptizátus est. Qui te vnà cum sánguine de lá-

tere suo prodúxit, & discí pulis suis iussit, vt cre-



déntes baptizaréntur in te dicens: I te docête o-

mnes



mnes gentes, baptizántes eos, in nómine Patris, & Fi-

li i, & Spíritus sancti.

Mutat vocem, & prosequitur in tono Lectionis:

HÆc nobis præcepta seruantibus, tu Deus omnipotens, clemens adesto, tu benignus aspira. Halat ter in aquam in modum crucis, dicens: Tu has simplices aquas tuo ore benedicito: vt præter naturalem emundationem, quam lauandis possint adhibere corporibus, sint etiam purificandis mentibus efficaces.

Hic Sacerdos paululum demittit Cereum in aquam, & resumens tonum Præfationis, dicit:

D escen dat in hanc plenitúdinem fontis, virtus Spiritus sancti.

Deinde extractum Cereum de aqua, iterùm profundiùs mergit, aliquantò altiùs repetens: Descendat in hanc. Postea Cereum rursus de aqua extractum, tertiò immergens vsq; ad fundum, altiori adhuc voce repetit: Descendat. vt suprà. Et deinde sufflans ter in aquam, secundùm hanc figuram ✠, prosequitur.

Totamq; huius aquæ substántiam regenerándi fœcún-

det effe-



Hic tollitur Cereus de aqua, & prosequitur.

det effectu. Hic ómnium peccatô-



rum máculæ deleántur, hic natû ra ad imáginem tu-

am cóndita, & ad honórem su i reformáta principij,



cunctis vetu stâtis squalóribus emundêtur: vt omnis

homo Sacraméntû hoc regene rati ônis ingréssus, in ve-



ræ innocénti æ nouam infántiam renascâtur.

Sequentia dicit legendo.

P er Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum: qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde

Deinde per assistentes Sacerdotes spargitur de ipsa aqua benedicta super populum. Et interim vnus ex ministris Ecclesiæ accipit in vase aliquo de eadem aqua, ad aspergendum in domibus, & alijs locis. His peractis, Sacerdos, qui benedicit fontem, infundit de oleo Catechumenorum in aquã in modum crucis, intelligibili voce dicens:

Sanctificetur, & fœcundetur fons iste oleo salutis, renascentibus ex eo in vitam æternam. ℟. Amen.

Deinde infundit de Chrismate, modo quo suprà, dicens:

Infusio Chrismatis Domini nostri Iesu Christi, & Spiritus sancti paracliti, fiat in nomine Sanctæ Trinitatis. ℟. Amen.

Postea accipit ambas ampullas dicti Olei sancti & Chrismatis, & de vtroq; simul in modum crucis infundendo, dicit:

Commixtio Chrismatis sanctificationis, & Olei vnctionis, & aquæ baptismatis, pariter fiat, in nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ sancti. ℟. Amen.

Tunc miscet ipsum oleum cum aqua, & spargit manu sua per omnem fontem. Si aderunt baptizandi, eos baptizat more consueto. Deinde reuertentibus Sacerdote & ministris ad Altare, cantantur Litaniæ à duobus Clericis, & Chorus idem simul repetit, vt dicitur infrà.

Vbi verò non est fons Baptismalis, finita vltima Prophetia cum sua Oratione, Celebrans casulam deponit, & cum ministris ante Altare procumbit: & alijs omnibus genuflexis, cantantur Litaniæ in medio Chori à duobus Cantoribus, vtroq; Choro idem simul respondente. Cùm autem peruentum fuerit ad ℣. **Peccatores, te rogamus.** Sacerdos & ministri surgunt, & accedentes ad Sacristiam, induuntur paramentis albi coloris pro Missa solemniter celebranda: & interim accenduntur luminaria in Altari. In fine Litaniarum cantantur solemniter, **Kyrie eleison.** & repetuntur, vt in Missa moris est.



Christe

phael.

phael. Omnes ſancti Angeli & Archan geli,

Ora te pro nobis. Omnes ſancti bea tôrum ſpi-

rituum or dines. San cte Ioannes Ba-



pti ſta. Omnes ſancti Patriárchæ & Prophe tæ,

Ora te pro nobis. Sancte Pe tre. San-

cte Pau le. Sancte Ioan nes. Omnes san-



cti Apôſto li & Euange li ſtæ. Ora te.

Omnes

Omnes ſancti Diſcipuli Do mini. Sancte

Ste phane. San cte Lauren ti. San cte Vincen-

ti. San cte Stani ſla e. San cte Adalber-

te. San cte Caſimi re. Omnes ſancti Mar-

tyres. San cte Sylue ſter. San cte Gre-

go ri. San cte Auguſti ne. Omnes ſancti



Ponti fices & Confeſſo res. Omnes ſancti Docto-

res.

res. S an cte Benedi cte. S an cte Domi-

nice. S ancte Hyacin cte. O mnes ſancti

Sacerdótes & Le ui tæ. O mnes ſancti Monáchi & Ere mitæ. S an cta Mária Magdalê na.

S an cta An na. S an cta Agnes. S an cta Heduigis.



O mnes ſanctæ vírgines & vi duæ. O mnes San cti, Intercédite pro no-

pro nobis. P ro pi tius e ſto, Parce nobis Domine.



P ro pi tius e ſto, Exáudi nos Dómine.



A b omni ma lo, Libera nos Dómine.



A b omni pecca to. A morte perpe tu a.



P er myſtérium ſanctæ Incarna ti ônis tuæ.



P er Aduentum tu um. P er Na tiuitatem tu-



am. P er baptiſmum & ſanctum ieiunium tuum.

P er Cru-



Per Crucem & Paſſionem tu am. Per mortem



& ſepultûram tu am. Per ſanctam Reſurrectionem

tu am. Per admirábilem Aſcenſionem tu-

am. Per aduentum Spíritus ſancti Para cleti.

In die Iudi ci i. Peccatores. Te ro-

gamus audi nos. Vt nobis par cas. Vt



Eccléſiam tuam ſanctam régere & conſeruáre digne-

ris.

ris. Vt domnum Apoſtólicum, & omnes Ec-



cleſi á ſticos órdines in ſancta reli gi one conſer-

uáre digne ris. Vt ini micos ſanctæ Eccléſi æ humili a re digne ris. Vt Régibus &

Princípibus Chriſtiánis pacem & veram concordiam do-

nare digne ris. Vt noſmetípſos in tu o ſan-

cto ſeruiti o confortáre & conſeruare digne ris.

Vt omni-

Vt omnibus benefactóribus noſtris ſempitérna bo-

na retri buas. Vt fructus terræ dare & conſer-



uare digne ris. Vt ômnibus fidé libus de-

functis requiem æternam donare digne ris.



Vt nos exau dire di gne ris. A gnus Dei

qui tollis peccáta mun di, Par ce nobis Do-



mine. A gnus Dei qui tollis peccáta mun di,

Exaudi

Ex au di nos Domine. A gnus De i qui tol lis

peccata mun di, Mi ſere re nobis. C hriſte



audi nos. C hri ſte exaudi nos.

Hic Cantores ſolemniter incipiunt, K yrie eleiſon. C hriſte eleiſon. K yrie eleiſon. & ter ſingula repetuntur, vt latius in Miſſali Romano.

DOMINICA RESVRRECTIONIS.

Apertio Sepulchri, & Proceſſio.

IN nocte Reſurrectionis Dominicæ circiter medium noctis, vel ſecundùm exigentiam Officiorum Diuinorum, antequam ad Matutinas vel quiſpiam alius pulſus ſit, Prælatus cum alijs Presbyteris induti albis ſolemnioribus, vel ſuperpelliceis, ſtolis, & pluuialibus ſeu cappis, cum miniſtris incenſum & aquam benedictam ferentibus, vexillis præterea & accenſis candelis præcedentibus, ex Choro in ſilentio rectà ad ſepulchrum vadunt. Ad quod cùm peruenerint, flexis genibus, ſequentem Antiphonam cum Pſalmis cantent, voce primò ſubmiſſa.



Psalmus.

LAudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia eius : & veritas Domini manet in æternum.

Gloria Patri, & Filio, &c.

DOmine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me ? multi insurgunt aduersum me ; multi dicunt animæ meæ : non est salus ipsi in Deo eius.

Tu autem Domine susceptor meus es: gloria mea,& exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamaui: & exaudiuit me de monte sancto suo.

Ego dormiui & soporatus sum & exurrexi : quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me, exurge Domine : saluum me fac Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa : dentes peccatorum contriuisti.

Domini est salus: & super populum tuum benedictio tua.

Gloria Patri, & Filio, &c. Repetitur Antiphona.

Deinde dicit Prælatus, Kyrie eleison. ℟. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Aue Maria.

℣. Et ne nos inducas in tentationem, &c.

℣. In resurrectione tua Christe, Alleluia.

℟. Cælum & terra lætantur, Alleluia.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine Iesu Christe, Rex gloriæ, humilis in passione, potens in resurrectione, mortis inferniqúe destructor, quod olim per Prophetas in scripturis promisisti, hodie deuicta morte resurgendo implesti ; propter quod omnis cœlestis militiæ Spiritus, & totus terrarum orbis profuso mentis gaudio, exultando te resurgentem adorant, & glorificant : Tartareæ quoque nimirum formidant, ac tremunt potestates. Nos autem tuæ dignationis humiles seruuli, gloriosæ resurrectionis tuæ memoriam vnanimi voto deuotissimè celebrantes, ecce frequentes assumus, & exuberantis tuæ in nos charitatis memores, pias non continemus lachrymas. Respice quæsumus, humilitatis nostræ obsequia : & præsta, vt detersis peccatorum nostrorum sordibus, in his Paschalibus solennijs tibi resurgere, ac sanctissimæ passionis ac resurrectionis tuæ, fructus capaces esse mereamur. Qui viuis & regnas Deus, in sæcula sæculorum. Amen.

Finitâ Oratione, & semotis sigillo & linteis, Sacerdos aspergit & incensat sepulchrum, ac promit crucem seu imaginem Resurrectionis, & tradit deferendas in Processione ministris: ipse verò eleuans Sacrosanctam Eucharistiam, incipit sequens Responsorium.



Vm Rex glo riæ.

Choro apertis ac iucundis vocibus ad finem prosequente, per Ecclesiam semel vel ter, donec cantus finitur, Processionem peragendo, necnon campanularum per præcedentes pueros superpelliceis indutos, tinnitu, & maiorum in turri, pro cuiusq; loci consuetudine, campanarum pulsu resonantia, Clero præcedente, & populo candelis accensis sequente.

Finito Responsorio, populus cantat: **Chrystus zmartwych wstał iest/ ꝛc.** vel Germanicè: **Christ ist erstanden/ ꝛc.** & reliqua secundùm locorum consuetudinem.

Facto circuitu, crucifixum in summo summi altaris gradu Sacerdotes tenentes, & sursum eleuantes, ter incipiunt Antiphonam: Surrexit Dominus de sepulchro. Chorus prosequitur: Qui pro nobis pependit in ligno, Alleluia.

℣. In resurrectione tua Christe, Alleluia.

℟. Cælum & terra lætantur, Alleluia.

O remus.

DEvs, qui nos Resurrectionis Dominicæ annua solennitate lætificas: concede propitius, vt per temporalia festa, quæ agimus, peruenire ad gaudia æterna mereamur. Per eundem, &c.

Sub finem Antiphonæ, Sacerdos reponat Eucharistiam in medio altari, inchoato Matutino, ad Ciborium, cum reliqua, reuerenter deportandam. Alij etiam statuunt crucifixum vnà cum imagine Resurrectionis, (vbi habetur) in altari, vel in aliquo honorato & edito loco circa altare. Quibus peractis, Matutinæ solenniter continuentur.

Vbi autem vnus tantum Sacerdos fuerit, solus perficiat suprà dicta.

Finito Matutino, canitur Antiphona de Beata Virgine:

Regina cæli lætare, Alleluia, &c.

℣. Gaude & lætare Virgo Maria, Alleluia.

℟. Quia surrexit Dominus verè, Alleluia.

O remus.

O remus.

DEvs, qui per resurrectionem Filij tui Domini nostri Iesu Christi, familiam tuam lætificare dignatus es: præsta quæsumus, vt per eius genitricem Virginem Mariam, perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eundem, &c. ℟. Amen.

Finaliter canitur Sequentia, seu Prosa: Victimæ Paschali laudes, &c. Post quemlibet versum populus in vulgari suo, canit canticum lætitiæ de Resurrectione Domini: **Chrystus zmartwych wstał iest/ ꝛc. Christ ist erstanden/ ꝛc.**

PROCESSIO PASCHATIS
ante maiorem Missam.

PRælatus cum ministris ad maius altare accedit, & facit reuerentiam ante illud, & statim fit aspersio cum cantu Respõsorij: Vidi aquam. suisque Versu & Oratione, vti dictum est suprà de Processionibus, in Dominicis diebus. Deinde statim incipitur Responsoriũ: Cùm Rex gloriæ, &c. quod canit Chorus stando, vsque dum dicitur: Adueniſti. Tunc progrediatur Processio è choro in cæmeterium cælo sereno (aliâs intra Ecclesiam fit Processio) præcedentibus vexillis & ceroferarijs, subsequenti verò imagine Resurrectionis à dextris, Crucifixi verò à sinistris. Quod in alijs Processionibus tempore Paschali obseruetur. In quibus per partes à Cantoribus Hymnus sequens decantetur:

Salue festa dies toto venerabilis æuo, qua Deus infernum vicit, & astra tenet.

Ecce renascentis testatur gratia mundi, omnia cum Domino dona redisse suo.

Namq; triumphanti post tristia tartara, Christo vndiq; fronde nemus, gramina flore fauent.

Legibus inferni oppressis, super astra meantem laudant rite Deum, lux, polus, arua, fretum.

Qui crucifixus erat Deus, ecce per omnia regnat, dantq; creatori cuncta creata precem.

Dum

Dum hi versus canuntur, tota Processio subsistit. Post quemlibet autem versum progrediente Processione, populus vulgarem cantum lætitiæ, de Resurrectione Christi succinit.

Deinde fit vltima statio in medio Ecclesiæ, vbi canitur Antiphona: Sedit Angelus, cum suis versibus, quos alternatim canunt Sacerdotes & Chorus, iuxta consuetudinem cuiusque Ecclesiæ.

Hic ordo Processionis seruatur omnibus Dominicis diebus, vsque ad Festum Ascensionis Domini.

IN FESTO SANCTI MARCI Euangelistæ.

De Litaniæ Maioris & Minoris institutione, & causis.

OCcurrunt hoc tempore Paschali Litaniæ, seu deprecationes Maiores & Minores: Maiores sunt in Festo sancti Marci, etiamsi festum cum eiusdem Missa contingat transferri, nisi incidant in diem Paschatis, tunc enim transferuntur in feriam tertiam sequentem, ex Decreto S. Congregationis Rituum, 25. Septembr: Millesimo, Sexcentesimo, Vigesimo septimo. Dicuntur autem Maiores Litaniæ ad differentiam Minorum, de quibus mox dicetur, quas instituit Sanctus Gregorius Papa, non simpliciter, sed ad Aedem sancti Petri; teste Baronio in Martyrologio, die 25. April. quæ etiam ante sanctum Gregorium erant annuæ, vt ipse testatur, initio Epistolarum lib: 2. vocans eas, annuas & maiores. Septiformem enim Litaniam instituerat Diuus Gregorius ad certas Ecclesias, distribuens Processionem in septem odines; hoc est, Clericorum, Religiosorum, Monialium, puerorum, adolescentum, viduarum, & continentium, ac coniugatorum: idq; vt ait ordo Romanus, propter imminentem cœlestis iræ mucronem, hoc est pestem inguinariam, quæ obibant multi, etiam oscitando & sternutando morte repentinâ. Vnde & oscitantes digito super os formabant signum Crucis, & sternutantibus dicebatur: Deus te iuuet; *qui mores ad nos vsq; deuenerunt.*

Minores autem Litaniæ, id est, Rogationes seu deprecationes, fiunt triduo, ante Ascensionem Domini, quæ celebrari iubentur, c. Rogationes. de con: dis: 3.

Meminit

Meminit earum D. Augustinus, ser: 173. de tempore, *vocans eas, Dies conuenctionis & pœnitentiæ. Vnde constat eas antiquiores esse, Maioribus Litanijs à S. Gregorio restitutis. Dicuntur autem hæ minores restitutæ, à S. Mamerto Viennensi Episcopo in Gallijs, ob incursionem luporum damna grauissima populis adferentium: quæ ideo appellatæ sunt Minores, quia à minori Episcopo, & in minori loco restitutæ, respectu sancti Gregorij, & Vrbis Romæ. Fiunt autem prædictæ Litaniæ ad peccata purganda, pacem impetrandam, pestilentiam auertendã, conseruationem frugum tunc è terra prodeuntium, & cæteras necessitates; quibus diebus fideles abstinentiam seruare, & lacticinijs semel in die vesci debent.*

Moneant ergo Parochi populum, vt ad prædictos fructus spirituales & temporales consequendos, his Processionibus deuotè interesse studeat.

ORDO LITANIÆ MAIORIS, ET Processionis die Sancti Marci.

FInita maiori Missa, vel tempore, quod commodius videbitur, Sacerdos officians super albam & stolam pluuiali violaceo, vel simili induitus, tenens reliquias cum duobus ministris, sicut ad Missam ministrare solent, ante maius altare genuflexus, voce sonora, in tono dicit sequentem exhortatoriam Antiphonam:

ORemus, dilectissimi nobis, Deum Patrem omnipotentem, vt cunctis mundum purget erroribus, morbos auferat, famem depellat, aperiat carceres, vincula dissoluat; peregrinantibus reditum, infirmantibus sanitatem, nauigantibus portum salutis indulgeat, & pacem tribuat in diebus nostris, insurgentesq; depellat inimicos, & de manu inferni liberet nos propter nomen suũ. Alleluia.



Postea inchoat in cantu solito sequentem Antiphonam:

Prosequitur chorus eodem cantu: Adiuua nos, & libera nos propter nomen tuum, Alleluia. Psal. Deus, auribus nostris audi-

uimus, patres nostri annunciauerunt nobis. ℣. Gloria Patri, &c.

Postea repetitur Antiphona ad Psalmum, vt prius.

℣. Peccauimus Domine cum patribus nostris.

℟. Iniustè egimus, iniquitatem fecimus.

MIserere, quæsumus Domine, familiæ tuæ, & intercedentibus omnibus sanctis tuis, munera compunctionis aperi, & largitate pietatis exaudi. Per Christum Dominum nostrum.

Deinde chorus incipit Litaniam, suprà in die Cinerum positam, genu flexis omnibus, vsq; ad locum, Sancta Maria: tunc enim assurgitur. Cùm verò dicitur: Sancte Petre, &c. proceditur ordine Processionis consueto, præcedentibus vexillis, & cruce Paschali, subsequente choro, & ordine puerorum, Cantorum, Sacerdotum, & vltimò populi. Processiones autem dirigantur ad Ecclesias; seu loca, secũdùm locorum consuetudinem. Cùm autem appropinquatur alicui Ecclesiæ, vel Oratorio, intermissa Litania, canitur Responsorium, vel Antiphona, quæ ex Officio Romano maximè quadrat Patrono, vel Patronis eiusdem Ecclesiæ. Si autem fuerint ex Apostolis, Euangelistis, vel Martyribus, tempore Paschali, cantetur Antiphona: Filiæ Ierusalem, venite, &c.

Congruum autem esset, vt tunc in eadem Ecclesia ordinaretur Missa, cui Processio tota interesset, ad minus per Canonem maiorem, si tempus patitur. Finito cantu, officiant, depositis Reliquijs super Altare, ante illud inter ministros genuflectat, similiter & reliqui; & per chorum decantentur Suffragia sequentia, vel aliqua eorum, pro ratione, & temporis opportunitate. Si verò non habentur propria, substituantur de communi, ex Officio Romanó.

ANTIPHONÆ SVFFRAGIORVM

Communium, cum suis Versibus & Collectis.

De Sancto Spiritu.



De San-

De S. Cruce.



Tempore Paschali, de S. Cruce.



De B. Maria Virgine.

Eadem sub alio cantu.

Vel extra tempus Paschale.

De Apostolis Petro & Paulo.

Pro Sancto Marco.

Si Patronus, vel Patrona Ecclesiæ, in qua est Statio, non est ex Sanctis hucusq; positis, inseratur hoc loco eius commemoratio per Antiphonam, Versum, & Collectam, infra sibi competentem. Idem fiat immediatè post, de Sancto vel Sancta, si cuius Reliquiæ celebres habentur in eadem Ecclesia.

De S. Adalberto.

Per me rita san cti Adal ber ti.

De S. Stanislao.



Vir in clyte Sta-

ni sla e.

De S. Venceslao.

Corde lingua.

De S. Floriano.

In Flori ano la tuit.



He dui gis sancta in clyta.

~~congregata hostili multitudine~~ cto congregata

Contra

Contra hostes Ecclesiæ, & Hæreticos.



Con te re Do mine.

Pro Rege.



Quo niam Rex noster.

Pro serenitate vel pluuia.

Domine Rex.

Tempore pestis.

Medi a vi ta.

Pro Pace.

Da pacem Do mine.

De Sanctis tempore Paschali.

In cælestibus re

Extra tempus Paschale.

Sancti tui Domine
—— Dei omnes.

Finitis Suffragijs, Sacerdos officians, prosequitur Versus infrascriptos, ita vt Suffragijs respondeant.

℣. Emitte Spiritum tuum & creabuntur, Alleluia.
℣. Adoramus te Christe, & benedicimus tibi.
℣. Dicite in nationibus. Alleluia.
℣. Gaude & lætare Virgo Maria, Alleluia.
℣. In omnem terram exiuit sonus eorum, Alleluia.
℣. Sancti & iusti in Domino gaudete, Alleluia.

Hic inseratur Versus de Patrono, vel Reliquijs, vt supra.

℣. Gloria & honore coronasti eum Domine, Alleluia.
℣. Posuisti Domine super caput eius, Alleluia.
℣. Iustus vt palma florebit, Alleluia.
℣. Pretiosa in conspectu Domini, Alleluia.
℣. Diffusa est gratia in labijs tuis, Alleluia.
℣. Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius.
℣. Domine saluum fac Regem nostrum.
℣. Dominus dabit benignitatem, vel (serenitatem,) Alleluia.
℣. Adiuua nos Deus salutaris noster.
℟. Et propter gloriam nominis tui libera nos.
℣. Fiat pax in virtute tua.
℣. Exultent iusti in conspectu Dei, Alleluia.
℟. Et delectentur in lætitia, Alleluia.
℣. Lætamini in Domino, & exultate iusti, Alleluia.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Deinde Sacerdos surgens, dicit sequentes Orationes sub vna conclusione.

Oremus.

Da quæsumus Ecclesiæ tuæ, misericors Deus, vt Spiritu sancto congregata hostili nullatenus incursione turbetur.

Deus,

DEus, qui pro nobis Filium tuum crucis patibulum subire voluisti, vt inimici à nobis expelleres potestatem: concede nobis famulis tuis, vt resurrectionis gratiam consequamur.

Alia extra tempus Paschale.

DEus, qui sanctam crucem ascendisti, & mundi tenebras illuminasti: tu quoq; corda & corpora nostra, per virtutem sanctæ Crucis illuminare, & visitare digneris.

De B. Virgine, tempore Paschali.

DEus, qui per resurrectionem Filij tui, Domini nostri Iesu Christi, familiam tuam lætificare dignatus es: præsta quæsumus, vt per eius genitricem Virginem Mariam, perpetuæ capiamus gaudia vitæ.

Alia extra tempus Paschale.

COncede nos famulos tuos, Domine Deus, perpetua mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosa Beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia.

De Apostolis.

PRotege Domine, populum tuum, & Apostolorum tuorum Petri & Pauli, & aliorum Apostolorum & Euangelistarum patrocinio confidentem, perpetua defensione conserua.

De S. Marco.

DEus, qui beatum Marcum Euangelistam tuum, Euangelicæ prædicationis gloria sublimasti: tribue quæsumus, eius nos semper eruditione proficere, & oratione defendi.

Hic inserenda Oratio de Patrono loci, vel Reliquiarum, vt suprà.

De S. Adalberto.

TVam nobis indulgentiam, quæsumus Domine, beatus Adalbertus Episcopus & martyr imploret, vt & delicta nobis clementer ignoscas, & beneficia desiderata concedas.

De S. Stanislao.

POpulum tuum, quæsumus Domine, intercedente beato Stanislao martyre tuo atque Pontifice, dextera virtutis tuæ potenter defende, & solem maiestatis tuæ irreuerberato mentis radio, gloriantur intueri concede.

De S. Venceslao.

DEvs, qui beati Venceslai nobilitatem, in meliorem mutasti dignitatem, & eum per martyrij palmam, ad cœlestem perduxisti gloriam: eius quæsumus precibus nos ab omni aduersitate libera, & æternæ beatitudinis gloria perfrui concede.

De S. Floriano.

ADesto Domine populo tuo, & sancti Floriani martyris tui præclara merita suscipiens, ad impetrandam misericordiam tuam, semper eius patrocinijs adiuuetur.

De S. Heduigi.

DEvs gratiæ dator & gloriæ, tuæ nobis propitius sinum pietatis aperi: & præsta, vt qui hic manẽtem ciuitatem non habemus, ad futurã quam quærimus, beatæ Heduigis suffragio perducamur.

Contra hostes Ecclesiæ.

ECclesiæ tuæ, quæsumus, preces placatus admitte, vt destructis aduersitatibus, & erroribus vniuersis, secura tibi seruiat

Alia contra infideles & hæreticos.

OMnipotens sempiterne Deus, in cuius manu sunt omnium potestates, & omnium iura regnorum: respice quæsumus in auxilium Christianorum. vt gentes infidelium & hæreticorum, quæ in sua feritate confidunt, dextera tuæ potentiæ conterantur.

Pro Rege.

QVæsumus omnipotens Deus, vt famulus tuus Rex noster N. qui tua miseratione suscepit regni gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementum: quibus decenter ornatus, & vitiorum monstra deuitare, & ad te, qui via, veritas, & vita es, gloriosus valeat peruenire.

Pro serenitate.

ADte nos Domine, clamantes, exaudi, & aëris serenitatem, vel (benignitatem) tribue supplicantibus: vt qui iustè pro peccatis nostris affligimur, misericordia tua præueniense, clementiam sentiamus.

Pro pluuia.

DEvs, in quo viuimus, mouemur, & sumus, pluuiam nobis tribue congruentem: vt præsentibus subsidijs sufficienter adiuti, sempiterna fiducialiter appetamus.

Tempore pestis vel famis.

DA nobis, quæsumus Domine, piæ supplicationis effectum, & pestilentiã famẽq; propitius auerte: vt mortaliũ corda cognoscant, & te indignante talia flagella prodire, & te miserante cessare.

Pro pace.

DEvs, à quo sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera: da seruis tuis illam quam mundus dare non potest pacem, vt

& cor-

& corda nostra maodatis tuis dedita, & hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

De Omnibus SS. tempore Paschali.

DA, quæsumus Domine, fidelibus populis, omnium Sanctorum tuorum semper veneratione lætari, & eorum perpetua supplicatione muniri.

Alia de Omnibus SS. conclusiun.

OMnes Sancti tui, quæsumus Domine, nos vbiq; adiuuent, vt dum eorum merita recolimus, patrocinia se mus, & pacẽ tuam nostris concede temporibus; & ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam, iter, actus, & voluntates nostras, & omnium famulorum tuorum, in salutis tuæ prosperitate dispone, benefactoribus nostris sempiterna bona retribue, & omnibus fidelibus defunctis requiem æternam concede. Per Dominum, &c.

Si in defectu Ecclesiarum Processionem oporteret dirigi extra vicum, vel pagum, ad imaginem Crucifixi; curet inprimis Parochus, vt tales imagines sint integræ, honestæ, & si fieri potest, benedictæ. Ad quas primo debet præcedere Antiphona cum suo Versu, & Collectis, de S. Cruce: deinde reliquæ, secundùm necessitatem, vel opportunitatem.

Cùm receditur ab Ecclesia, vel loco Stationis, reiumitur Litania, vbi ante desierat, in eodem tono. Et repetatur, donec ad aliam Stationem, vel propriam Ecclesiam redeatur. Vel si placet sub simili tono, cantetur Litania de Nomine IESV, vel B. Virgine, quæ infra ponuntur.

In reditu & ingressu ad propriam Ecclesiam, canendum est Responsorium, vel Antiphona, de proprio Patrono eiusdem Ecclesiæ, & per Versum & Collectam, per Officiantem Processio finienda.

LITANIÆ DE NOMINE IESV.

KYrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos Christe exaudi nos

Pater de cælis Deus, Miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, misere.
Sancta Trinitas vnus Deus, Miserere nobis.
Iesu Fili Dei viui, mise.
Iesu potentissime, mise.
Iesu fortissime, mise.
Iesu perfectissime, mise.
Iesu gloriosissime, mise.
Iesu mirifice, mise.
Iesu iucundissime, mise.
Iesu charissime, mise.
Iesu clarior sole, mise.
Iesu pulchrior lũna, mise.
Iesu splendidior stellis, mise.
Iesu admirabilis, mise.
Iesu delectabilis, mise.
Iesu honorabilis, mise.
Iesu humillime, mise.
Iesu pauperrime, mise.
Iesu mitissime, mise.
Iesu patientissime, mise.
Iesu obedientissime, mise.
Iesu castissime, mise.
Iesu amator castitatis, mise.
Iesu amator pacis, mise.
Iesu amator noster, mise.
Iesu speculum vitæ, mise.
Iesu exemplar virtutum, mise.
Iesu decus morum, mise.
Iesu zelator animarum, mise.
Iesu refugium nostrum, mise.
Iesu pater pauperum, mise.
Iesu consolator afflictorum, m.
Iesu thesaurus fidelium, mise.
Iesu gemma pretiosa, mise.
Iesu armariũ perfectionis, mise.
Iesu bone pastor ouium, mise.
Iesu stella maris, mise.
Iesu lux vera, mise.
Iesu sapientia æterna, mise.
Iesu bonitas infinita, mise.
Iesu gaudium Angelorum, mis.
Iesu Rex Patriarcharum, mise.
Iesu inspirator Prophetarũ, mis.
Iesu magister Apostolorum, m.
Iesu doctor Euangelistarũ, mis.
Iesu fortitudo Martyrum, mis.
Iesu lumen Confessorum, mis.
Iesu sponse Virginum, mise.
Iesu corona SS. omnium, mise.
Propitius esto, Parce nobis Iesu.
Propitius esto, Exaudi nos Iesu.
Ab omni malo, Libera nos Iesu.
Ab omni peccato, libera.
Ab ira tua, libera.
Ab insidijs diaboli, libera.
A peste, fame, & bello, libera nos Iesu.

A transf-

A transgressione mandatorum tuorum, libera nos Iesu.
A b incursu omniũ malorum, li.
P er incarnationem tuam, libera.
P er aduentum tuum, libera.
P er natiuitatem tuam, libera.
P er circumcisionem tuam, lib.
P er dolores tuos, libera.
P er flagella tua, libera.
P er mortem tuam, libera.
P er resurrectionem tuam, lib.
P er ascensionem tuam, libera.
P er gaudia tua, libera.
P er gloriam tuam, libera.
P er dulcissimam Virginem matrem tuam, libera nos Iesu.
P er intercessionem omnium Sanctorum tuorum, libera.
A gnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Iesu.
A gnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Iesu.
A gnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
I esu Christe audi nos.
I esu Christe exaudi nos.
K yrie eleison. C hriste eleison.
K yrie eleison.

LITANIA DE B. VIRGINE.

K Yrie eleison. C hriste eleison. K yrie eleison.
C hriste audi nos. C hriste exaudi nos.
P ater de cœlis Deus, Miserere nobis.
F ili redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
S piritus sancte Deus, Miserere nobis.
S ancta Trinitas vnus Deus, Miserere nobis.
S ancta Maria, Ora pro nobis.
S ancta Dei genitrix, ora.
S ancta Virgo virginum, ora.
M ater Christi, ora.
M ater diuinæ gratiæ, ora.
M ater purissima, ora.
M ater castissima, ora.
M ater inuiolata, ora.
M ater intemerata, ora.
M ater amabilis, Ora pro nobis.
M ater admirabilis, ora.
M ater Creatoris, ora.
M ater Saluatoris, ora.
V irgo prudentissima, ora.
V irgo veneranda, ora.
V irgo prædicanda, ora.
V irgo potens, ora.
V irgo clemens, ora.

V irgo fidelis, Ora pro nobis.
S peculum iustitiæ, ora.
S edes sapientiæ, ora.
C ausa nostræ lætitiæ, ora.
V as spirituale, ora.
V as honorabile, ora.
V as insigne deuotionis, ora.
R osa mystica, ora.
T urris Dauidica, ora.
T urris eburnea, ora.
D omus aurea, ora.
F œderis arca, ora.
I anua cœli, ora.
S tella matutina, ora.
S alus infirmorum, ora.
R efugium peccatorum, ora.
C onsolatrix afflictorum, ora.
A uxilium Christianorum, ora.
R egina Angelorum, ora.
R egina Patriarcharum, ora.
R egina Prophetarum, ora.
R egina Apostolorum, ora.
R egina Martyrum, ora.
R egina Confessorum, ora.
R egina Virginum, ora.
R egina Sanctorũ omnium, ora.
A gnus Dei, qui tollis peccata mũdi, Parce nobis Domine.
A gnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
A gnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
C hriste audi nos.
C hriste exaudi nos.

DE LITANIA MINORI DIEBVS Rogationum.

TRibus diebus immediatis, ante Festum Ascensionis Domini, fiunt similes Processiones, & Litaniæ, vt suprà in Festo S. Marci, nisi quòd vltima die, hoc est Feria Quarta, in vltimo regressu ad propriam Ecclesiam, vbi est consuetudo, debet decantari Sequentia, Victimæ Paschali: interserendo Versibus patrium Canticũ, Chrystus zmartwychwstał iest/ &c. vel Germanicè: Christ ist erstanden/ &c. Quæ Processio & Litania non debet omitti, quamuis in aliquem eorum dierum inciderit festum celebre. Tempore autem pluuioso, potest in Ecclesia absolui.

INFESTO
ASCENSIONIS DOMINI.

IN die Ascensionis Domini Processioperagatur hoc modo: Incipit Chorus absolutè Antiphonam: Cùm Rex gloriæ Christus. quam prosequitur stando: Et dum dicitur: Aduenisti desiderabilis. tunc egrediatur Processio è Choro in cæmeterium, præcedentibus vexillis, & in solito loco subsistat. Vbi finita Antiphona, Scholares ad hoc ordinati cantant Hymnum, Salue festa dies: Chorus prosequitur; Toto venerabili æuo, qua Deus cœlos ascendit, & astra tenet. Et statim populus subiungit: Przez twe świete Wniebowstąpienie/ ꝛc. Chorus cum Clero subsistit, & cantat versum:

Ecce renascentis.
Namque triumphanti.
Legibus inferni.
Qui crucifixus erat.

Post quemlibet versum, populus progrediendo repetit: Przez twe świete Wniebowstąpienie/ ꝛc.

Intrando Ecclesiam canitur Responsorium: Ite in orbem. Deinde fit statio in medio Ecclesiæ, vbi Prælatus officians incipit hos versus.



mergat

mergat vel in infe ros.

Officians. Vt cum flammiuoma nube reuerteris, Chorus. occulta hominum pandere iudicans, ne des supplicia horrida noxijs, sed iustis bona præmia.

Officians. Præsta hoc genitor optime maxime. Chorus. Hoc tu nate Dei, & bone Spiritus, Regnans perpetuò fulgida Trinitas, Per cuncta pie sæcula. Amen.

Intrando Chorum, hæc Antiphona tribus vicibus per Presbyteros cantatur:



Chorus. De um me um & Deum ve strum, Alle luia.

Post decantatos in statione versus Hymni, per celebrantem dicitur Versus cum Oratione.

℣. Ascendens Christus in altum, Alleluia.
℟. Captiuam duxit captiuitatem, Alleluia.

Oremus.

DEus, cuius Filius in alta cœlorum potenter ascendens, captiuitatem nostram sua duxit virtute captiuam: tribue quæsumus, vt dona, quæ suis participibus contulit, largiatur & nobis Iesus Chri

ſus Chriſtus Dominus noſter. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti, &c.

In Parochialibus Eccleſijs hic mos obſeruatur. Sacerdos officians ad altare accedens cum miniſtris, ſi adſunt, & accipiens imaginem Saluatoris, eam cum reuerentia paulatim ter attollit, cantando Antiphonam, Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum. Chorus proſequitur: Deum meum, & Deum veſtrum, Alleluia. Et poſt ſingulas intonationes, crucem iterum parum demittit: quam, Antiphona finita, in altari collocat. Sacro finito ad Sacriſtiam reuerenter deferendam.

Repreſentatio autem Aſcenſionis Domini, per receptionem imaginis eiuſdem ad ſuperiora, eſt abolenda: præſertim ſi poſt illam imago cacodæmonis deijciatur, & alia ſuperſtitioſa fiant cum ſcandalo & tumultu.

DE VIGILIA PENTECOSTES.

SIcut totum Officium & Miſſa, ſic aliæ cærimoniæ eiuſdem diei fiant ex Miſſali Romano.

IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

AD aſperſionem canitur Reſponſorium, Vidi aquam. cum Verſu & Oratione, vti in principio huius libri dictum eſt.

Deinde ad Proceſſionem canitur: Cùm Rex gloriæ Chriſtus. qua finita, Scholares incipiunt Hymnum: Salue feſta dies. Chorus proſequitur: Toto venerabili æuo, qua Deus Spiritum miſit, & aſtra tenet. Populus progrediendo cantat: Przez twoie świete Duchá zeſłánie / ꝛć. Chorus cum Clero ſubſiſtit, & cantat reliquos verſus, vti ſupra ſignatũ eſt.

Intrando Eccleſiam, canitur Reſponſorium: Apparuerunt Apoſtolis diſpartitæ linguæ. Deinde fit ſtatio in medio Eccleſiæ, vbi Prælatus officians, incipit hos verſus Hymni:





Sac. Hoſtem repellas longius. Chorus. Pacemq; dones protinus, Ductore ſic te præuio, Vitemus omne noxium.

Sac. Per te ſciamus da Patrem. Chorus. Noſcamus atque Filium: Te vtriuſq; Spiritum, Credamus omni tempore.

℣. Emitte Spiritum tuum & creabuntur, Alleluia.

℟. Et renouabis faciem terræ, Alleluia.

O remus.

PRæſta, quæſumus omnipotens & miſericors Deus, vt ſanctus Spiritus adueniens, templum nos gloriæ ſuæ, dignanter inhabitando perficiat. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Intrando chorum, canitur Antiphona:





tur e is, Alle luia.

IN FESTO
SS. TRINITATIS.

HAc die, & sequentibus Dominicis, per annum peragatur aspersio, & Processio, cum suis Responsorijs, vt supra de Processionibus in diebus Dominicis dictum est.

IN SOLENNITATE
CORPORIS CHRISTI.

COrporis Domini solennitas, siquidem die Cœnæ Domini, propter lugubre tempus Passionis Dominicæ, & alias continuatas festiuitates, celebrari vt par est, non poterat: Ecclesia huic rei assignauit commodissimè Feriam quintam, post Festum SS. Trinitatis, cum septem alijs continuis diebus. Per quod tempus Pastores adhortentur populum, tam doctrina, quàm exemplo, ad ardentem & continuam tanto Sacramento honorem præstandum; admonente idipsum Ecclesia, dum sic canit: Quantum potes, tantum aude: quia maior omni laude, nec laudare sufficis. *Proferant ergo tanquam boni patresfamiliâs, ex thesauris scientiæ & prudentiæ suæ, noua reformatorum adorandi rituum, multis locis Prouinciæ iam explorata: nec minùs retineant vetera patriarum consuetudinum, modo talia sint, ne contumeliam potiùs quàm honorem, inferant Christo in Sacramento præsenti. Admoneatur populus de quotidianis per Octauam Indulgentijs, quas consequuntur, qui intersunt horis Canonicis in Ecclesia, vel vbi eæ non decantantur, Missæ, Vesperis, & Processionibus, quæ circa illas quotidie fiunt.*

PRidie igitur eiusdem Festi, in Missa reseruandæ sunt, & in Sacristia honorificè deponendæ, duæ maiores hostiæ consecratæ, ne fortè alteram lilarum frangi contingat. Ante inchoationem verò Vesperarum adornetur Templum, & eius partes; maximè verò Altare, & tabernaculum, in quo Eucharistia collocari debet. Sacerdos igitur Sacris vestibus ad Vesperas indutus, cum suis ministris, candelis, & thuribulo accensis, veniunt ad hostias repositas, easq; genuflexi adorant. Postea Officians vnam ex eis ponit in tabernaculum, seu monstrantiam, & reuerenter in thuribulo incensat. Demum præcedentibus vexillis, candelis accensis, ministris, thuribulo, campanarum tinnitu, profert illud ex Sacristia; & stans versus populum, inchoat versum: O salutaris hostia. Choro reliqua vsque ad finem Hymni prosequente. Sacerdos autem cum alijs progreditur ad altare maius, in quo Eucharistiam reuerenter deponit, & cum omnibus alijs genuflexus adorat, donec Chorus cantu, si fieri potest, figurali absoluat aliquam Antiphonam tempori congruentem. Postea Sacerdos resumit Sacramentum, & ad altare versus populum stans, incipit Responsorium; Homo quidam fecit: quam canendo, prosequitur chorus ordine suo procedens, quem sequi debent pueri, Ecclesiastico vel honesto habitu induti, tenentes in manibus non calices (vt magno & periculoso abusu fieri solet) sed candelas vel faces accensas, & vt fieri potest, adornatas. Conuenit autem, vt reliqui Sacerdotes, & populus ipse lumina deferant. Ministri autem, vel vnus illorum, præfert thuribulum ante Eucharistiam incensando. Perficitur circuitus intra vel extra Ecclesiam, secundùm opportunitatem. Quod si circuitui non sufficit Responsorium, addatur aliqua Antiphona, vel Hymnus tempori deseruiens. Exacto circuitu, Sacerdos reponit super altare Eucharistiam, & dum finitur cantus, cum reuerentia resumit, faciendo cum illa benedictionem versus populum vna vice: deinde reposita in locum suum, incipit Vesperas. Quibus, vel etiam, vbi decantantur, Completorio finitis, Officians accepta Eucharistia, incipit cantu: Tantum ergo Sacramentum. Deinde: Genitori genitoque: Choro autem reliqua ad finem prosequente, in illis verbis (sit & benedictio) benedicit populum cum Venerabili Sacramento in formam crucis, vna vice. Et eadem qua priùs reuerentia, reportat ad solitum depositorium, nisi in altari de more, & securò sit relinquendum. Quem proferendi & reponendi modum seruabit, quotiés per annum vsus venerit, & præcipuè in hac solennitate; in qua insuper retinenda, & vbi desijt, reuocanda est laudabilis consuetudo, vt Officians in Prosa vel Sequentia, adorationem Sacramenti in populo excitet, per inchoationem Versuum: Ecce Panis Angelorum. In figuris præsignatur.

gnatur. Bone paſtor, panis verè. Et ſtatim poſt ad verba: Ieſu noſtri miſerere: facit conſuetam benedictionem in formam crucis, vna vice.

DE PROCESSIONE SOLENNIORI eiuſdem Feſti.

PRoceſſio ſolennior ipſo die Corporis Chriſti, vt in Epiſtola Paſtorali habetur, fiat hoc ordine: Vbicunq; plures habentur Eccleſiæ, omnes reliquarum, etiam Regulares, Clerici, abſolutis in Eccleſijs ſuis Miſſis, & Proceſſionibus circa eas factis, atque Euchariſtia ex altari in Sacriſtiam delata, ad Metropolitanam, Cathedralem, vel Collegiatam celebrem, ſi quæ adeſt, aliâs ad Parochialem Eccleſiam, modo & ordine, Craconiæ, iuxta conſuetudinem S. Romanæ Eccleſiæ, à bonæ mem: Card: Radziuillo Epiſcopo Cracouienſi, inſtituto, addeducendum inde per plateas Ciuitatis vel Oppidi, atq; reducendum iterum Sanctiſſimum Sacramentum proceſſionaliter, cum vexillis & crucibus; Regulares quidem habitu Ordinis quiq; ſui, Clerici minores ſuperpelliceis, Subdiaconi & Diaconi Dalmaticis, Presbyteri Caſſulis pretioſioribus induti, habenteſq; ſinguli cereos in manibus, quos in Proceſſione accendant, ac ſingulos ordines Sacerdote ſuperpelliceo, ſtola, & pluuiali amicto, qui Crucem, aut ſacra Reliquias deferat, ſubſequente, hora à Prælato primariæ Eccleſiæ illis aſſignanda, conueniant. Vbi etiam Confraternitates ſæcularium, & ſocietates opificum, cum facibus vel cereis tempeſtiuè adſint.

Egrediente à dicta Eccleſia Proceſsione, & ad illam reuertente, omnes eius campanæ pulſentur: reliquarum autem Eccleſiarum tunc, cùm per vicina illis loca Proceſsio tranſibit.

Proceſsio itaq; ipſa ante vel poſt maiorem Miſſam, cum maxima quæ adhiberi poteſt ſolennitate, & fidelium applauſu, aduerſariorum verò confuſione, progreditur ad forum, vel nobiliorem Ciuitatum, vicorum, aut pagorum partem; vbi locis aptioribus, debitæq; ab inuicem diſtantiæ, inſtruuntur quatuor menſæ inſtar altarium, imaginibus, & mundis pannis ſacris, adminùs autem vno Superiori adornatæ. Exeundo ex Eccleſia, inchoat Officians Reſponſorium: Homo quidam fecit. Eoq; cum ſuis partibus finito, ſi vlterior reſtat Progreſſus, cantari debent Hymni tempori ſeruientes, vel Antiphonæ; vtpote: Pange lingua. Sacris ſolennijs. Verbum ſu-

bum ſupernum prodiens. Ieſu noſtra redemptio. Æterne Rex altiſſime. Qui Hymni in hac Proceſsione, iuxta Pſalterium Romanum cani debent: quod etiam in alijs Proceſsionibus huius feſti, finitis Reſponſorijs, fieri debet. Vbi ad primum altare peruentum fuerit, Sacerdos reuerenter deponit ſuper illud Euchariſtiam, & adorans incenſo benedicto adolet. Deinde Diaconus vel miniſtrans, accepta benedictione conſueta, cantat in ſolito tono, Initium S. Euangelij ſecundùm Matthæum, vt infra ponitur. Quo finito Officians oſculato libro, reuerenter recipit Euchariſtiam, & conuerſus ad populum, inchoat Reſponſorium. Et hoc cantu fit progreſſus ad ſecundum altare, vbi ſicut in reliquis, ſimilem priori ſtationem faciet, Euangelijs tantùm & Reſponſorijs mutatis, vt ſequitur.

In prima Statione Euangelium.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.
℣. Initium ſancti Euangelij ſecundùm Matthæum.
℟. Gloria tibi Domine.

LIber generatiônis IESV Chriſti Filij Dauid: Filij Abrahám. Abrahám genuit Iſaác: Iſaác autem génuit Iacob: Iacob autem génuit Iudam & fratres eius: Iudas autem génuit Phares & Zaram de Thamar. Phares autem génuit Eſron: Eſron autem génuit Aram: Aram autem génuit Aminadab: Aminadab autem génuit Naaſon: Naaſon autem génuit Salmon: Salmon eutem génuit Booz de Raab: Booz autem genuit Obeth ex Ruth: Obeth autem génuit Ieſſe. Ieſſe autem génuit Dauid Regem: Dauid autem Rex génuit Salomônem, ex ea quæ fuit Vriæ. Sálomon autem génuit Roboám: Roboám autem génuit Abiam: Abias autem génuit Aſa: Aſa autem génuit Iósaphat. Iósaphat autem génuit Ioram: Ioram autem génuit Oziam: Ozias autem génuit Ióathan: Ióathan autem génuit Achaz. Achaz autem génuit Ezechiam: Ezechias autem génuit Manáſſem: Manáſſes autem génuit Amon: Amon autem génuit Ioſiam: Ioſias autem génuit Iechoniam & fratres eius in tranſmigratiône Babilónis. Et poſt tranſmigratio-

gratiônem Babilônis, Iechónias génuit Saláthiel: Saláthiel autem génuit Zorobabél: Zorobabél autem génuit Abiud: Abiud autem génuit Eliachim. Eliachim autem génuit Azor: Azor autem génuit Sadoc: Sadoc autem génuit Achim: Achim autem génuit Eliud: Eliud autem génuit Eleazár: Eleazár autem génuit Mathan: Mathan autem génuit Iacob: Iacob autem génuit Ioseph virum Mariæ. De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.

Responsorium.



In secunda Statione Euangelium.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Initium sancti Euangelij secundùm Marcum.
℟. Gloria tibi Domine.

INítium Euangélij Iesu Christi Filij Dei, sicut scriptum est in Isaia Prophéta, (Ecce mitto Angelum meum ante fáciem tuám, qui præparabit viam tuam ante te.) Vox clamántis in deserto: Paráte viam Dómini, rectas facite sémitas eius. Fuit Ioánnes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissiônem peccatórum. Et egrediebatur ad eum omnis Iudææ regio, & Ierosolymitæ vniuérsi: & baptizabantur ab illo in Iordánis flúmine, confiténtes peccáta sua. Et erat Ioánnes vestitus pilis caméli, & zona pellicea circa lumbos éius: & locústas & mel sylueſtre edebat. Et prædicabat dicens: Véniet fortior me post me, cuius non sum dignus procúmbens sóluere corrigiam calceamentôrum eius. Ego baptizaui vos aqua: ille verò baptizábit vos Spiritu sancto.

In tertia Statione Euangelium.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Initium sancti Euangelij secundùm Lucam.
℟. Gloria tibi Domine.

FVit in diébus Heròdis regis Iudææ, sacérdos quidam nómine Zacharias, de vice Abia: & vxor illius de filiâbus Aaron, & nomen illius Elizabeth. Erant autem iusti ambo ante Deum, incedéntes in omnibus mandátis & iustificationibus Domini sine querela, & non erat illis filius: eo quòd Elizabeth esset sterilis: & ambo processissent in diebus suis. Factum est autem, cùm sacerdótio fungerétur Zacharias, in órdine vicis suæ ante Deum, secundùm consuetúdinem sacerdótij: sorte exijt, vt incénsum póneret, ingressus in templum Dómini. Et omnis multitúdo pópuli erat orans foris, hora incénsi. Appáruit autem illi Angelus Domini, stans à dextris altaris incénsi. Et Zacharias turbatus est, videns: & timor irruit super eum. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia: quoniam exaudita est deprecatio tua: Et vxor tua Elizabeth pariet tibi filium: & vocábis nomen eius Ioannem. Et erit tibi gaudium & exultátio: & multi in natiuitáte eius gaudébunt. Erit enim magnus coram Dómino: vinum & siceram non bibet. Et Spiritu sancto replébitur adhuc ex vtero matris suæ, & multos filiôrum Israël conuertet ad Dóminum Deum ipsôrum. Et ipse præcédet ante illum in spiritu & virtúte Eliæ: vt conuértat corda patrum in filios: & incrédulos ad prudéntiam iustorum, paráre Dómino plebem perféctam.

Respon-
sorium.



In quarta Statione Euangelium.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Initium sancti Euangelij secundùm Ioannem.
℟. Gloria tibi Domine.

IN principio erat Verbum: & Verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deũ. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat: & vita erat lux hóminum: & lux in ténebris lucet: & ténebræ eam non cõprehendérunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomẽ erat Ioánnes. Hic venit in testimónium: vt testimónium perhibêret de lúmine, vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux: sed vt testimônium perhibêret de lúmine Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniêntem in hunc mundum. In mundo erat: & mundus per ipsum factus est: & mundus eum non cognôuit. In propria venit: & sui eum non recepérunt. Quotquot autem recepérunt eum, dedit eis potestâtem filios Dei fieri: his qui credunt in nomine eius. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntâte carnis, neq; ex voluntâte viri: sed ex Deo nati sunt. ET VERBVM CARO FACTVM EST: & habitâuit in nobis (& vídimus glóriam eius, glóriam quasi vnigéniti a Patre) plenum grátiæ & veritâtis.

Responsorium (obseruata prius sequenti annotatione.)



Quæ qui-

Quæ quidem Responsoria, suo ordine, vel vt commodius videbitur, in Processionibus quotidianis per hanc octauam erunt decantanda. Quando autem genuflexio est commoda, in Responsorio Melchisedech, ad prima verba: O Iesu. Sacerdos paululum subsistens, dat cum Sacramento benedictionem Clero, & alijs præcedentibus genuflexis: postea ad vltimam eorundem verborum repetitionem, idem facit versus sequentem populum.

In vltima Statione, finito Euangelio, omnibus genuflexis, canitur Antiphona:

℣. Posuit fines tuos pacem, alleluia.
℟. Et adipe frumenti satiat te, alleluia.

Oremus.

DEVS, qui per præsentiam arcæ fœderis, domui, & vniuersæ substantiæ Obededom fidelis tui, largam benedictionem contulisti: concede propitius, vt arca redemptionis nostræ, Christus Iesus filius tuus, hodierno corporis sui mysterio nos visitans, temporali & æterna nos benedictione muneretur. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen. Responsorium, vt supra.

In reditu, ante ingressum propriæ Ecclesiæ, inchoatur Hymnus, Te Deum laudamus.

Interim reposito in Altari venerabili Sacramento, & omnibus genuflexis, cùm peruentum fuerit ad versum Saluũ fac populum tuum Domine. Sacerdos recipiens Sacramentum, conuersus ad populum, ter illum inchoat, choro perficiente: ita tamen, vt tertia vice addat reliqua verba: Et benedic hæreditati tuæ. Et tunc Eucharistia in forma crucis ducta, more solito populum benedicat. Dumq; chorus reliqua absoluit, deponat Sacramentum in tabernaculum altaris: vel si asseruandum erit, solito comitatu & reuerentia, ad locum præparatum deferat. Idem finiendi & asseruandi

modus teneatur in conclusione huius solennitatis, & quoties in aliqua solennitate, vel gratiarum actione publica, profertur Venerabile Sacramentum. Reliquis temporibus, vel in supplicationibus lugubribus, ante asseruationem immediatè cantetur Antiphona: O quam suauis est Domine, Spiritus tuus, &c. Deinde Sacerdos genuflexus dicit:

℣. Panem de cœlo præstitisti eis, alleluia.
℟. Omne delectamentum in se habentem, alleluia.

Oremus.

DEus, qui nobis sub Sacramento mirabili, passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue quæsumus, ita nos corporis & sanguinis tui sacra mysteria venerari, vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui viuis, &c.

Deniq; inchoato versu: Tantum ergo Sacramentum, &c. asseruat Eucharistiam, vt suo loco dictum est.

Postremò, finita & reducta ad eandem Ecclesiam Processione, omnes tam Clerici, quàm laici, eodem ordine quo venerant, reuertantur ad suas Ecclesias; quæ & ipsæ pariter, vbi id fieri commodè potest, præter Processiones quotidie circa Ecclesiam obiri consuetas, vnam solenniorem cæteris, Dominica infra octauas, vel in ipsa Octaua, per adiacentes sibi vicos, cum populo suo instituant.

Deniq; in pagis & oppidis, vbi vna tantum est Ecclesia, per nobiliorem atq; planiorem earum partem, non tamen per campos aut agros, quàm decentissimè, iuxta suprascripta, hæc eadem Processio fiat.

Tempore Aduentus, & Quadragesimæ, omittitur Alleluia; vbi alioquin in tali officio est appositum.

IN FESTO DIVISIONIS APOSTOLORVM.

HOc Festum, quamuis in Officio Romano non ponatur, fortassè ideò, quia eius Historia certa, & vniuersali traditione non firmatur. Tamen quia prorsus obscura non est, retineatur eiusdem Festi celebritas, vbi est consuetudo: maximè verò in nostra Prouincia, propter memora-

memorabilem victoriam per Polonos ex Pruthenis & Cruciferis eo die reportatam. Ideò post Missam maiorem (cui alia Missa Gratiarum actoria præmittenda, vel vbi fieri non potest, Oratio ad id propositum inserenda est) fit secundùm locorum consuetudinem Processio, per inchoationē Responsorij de Festo: Ite in orbem vniuersum. vel, Ecce ego mitto vos. quod est primum de communi Apostolorum. Cui succedit Litania cum alijs suffragijs, memoria eidem tempori, & loco congruentibus, vt in Processione die S. Marci positum est. Quibus interseri poterunt suis locis sequentes propriæ Orationes.

Oremus.

DEus, qui hodierna die Apostolorum tuorum, per orbem terrarum diuisionem, tua prouidentia fieri præstitisti; vt in vnam fidei gratiam, ex gentibus passim dispersis vocaretur Ecclesia: da nobis meritis & suffragijs eorum veniam nostrorum consequi peccatorum, per quorum veram prædicationem, ad tui nominis peruenimus agnitionem.

OMnipotens sempiterne Deus, mœstorum benignissime consolator, tutum refugium in te sperantium: qui hodiernam diem huic populo de tua protectione confidenti, triumpho mirabili cœlitus præstito, celebrem fieri voluisti: præsta quæsumus, tuæ protectionis abundantiam, vt populus meritis ac precibus sanctorum Apostolorum tuorum, quorum solennia agimus, ab omni semper hostium impugnatione tueatur, & securus tibi deseruiendo permaneat.

DEus, qui credentes in te populos nullis finis concuti terroribus: dignare preces & supplicationes plebis tibi dicatæ suscipere: vt pax à tua pietate concessa, Christianorum fines, ab omni hoste faciat esse securos. Per Dominum, &c.

Postremo in reditu ad propriam Ecclesiam, concluditur Hymno, Te Deum laudamus.

IN FESTO ASSVMPTIONIS B. M. V.

Benedictio Herbarum, & Processio.

ABsoluta asperſione, ſi feſtũ venerit in Dominica, alioqui immediatè ante maiorẽ Miſſam, Officians pluuiali ſolenni indutus, ante altare, conuerſus ad populum tenentem herbas, vel fructus, incipit voce intelligibili.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.

Deinde dicit Pſalmum 64.

TE decet hymnus Deus in Sion: & tibi reddetur votum in Hieruſalem.
Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet.
Verba iniquorum præualuerunt ſuper nos: & impietatibus noſtris tu propitiaberis.
Beatus quem elegiſti, & aſſumpſiſti: inhabitabit in atrijs tuis.
Replebimur in bonis domus tuæ: ſanctum eſt templum tuum, mirabile in æquitate.
Exaudi nos Deus ſalutaris noſter: ſpes omnium finium terræ, & in mari longè.
Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia: qui conturbas profundum maris, ſonum fluctuum eius.
Turbabunt gentes, & timebunt, qui habitant terminos à ſignis tuis: exitus matutini & veſperæ delectabis.
Viſitaſti terram, & inebriaſti eam: multiplicaſti locupletare eam.
Flumen Dei repletum eſt aquis: paraſti cibum illorum, quoniam ita eſt præparatio eius.
Riuos eius inebrians multiplica genimina eius: in ſtillicidijs eius lætabitur germinans.

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ: & campi tui replebuntur vbertate.
Pingueſcent ſpecioſa deſerti: & exultatione colles accingentur.
Induti ſunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento: clamabunt, etenim hymnum dicent.
Gloria Patri, &c.

℣. Dominus dabit benignitatem.
℟. Et terra noſtra dabit fructum ſuum.
℣. Rigans montes de ſuperioribus ſuis.
℟. De fructu operum tuorum ſatiabitur terra.
℣. Producens fœnum iumentis.
℟. Et herbam ſeruituti hominum.
℣. Vt educas panem de terra.
℟. Et vinum lætificet cor hominis.
℣. Vt exhilaret faciem in oleo.
℟. Et panis cor hominis confirmet.
℣. Miſit ſeruum ſuum & ſanauit eos.
℟. Et eripuit eos de omnibus intentionibus eorum.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui cœlum, terram, mare, & omnia viſibilia & inuiſibilia verbo tuo ex nihilo creaſti: quiq; herbas arboreſq; ad vſus hominum animaliumq; terram gignere, & vnum quodq; iuxta ſementem in ſemetipſo fructum habere præcepiſti: atq; non ſolùm, vt herbæ animantibus ad victum, ſed ægris etiam corporibus prodeſſent ad medicamentum, tua ineffabili pietate conceſſiſti: te ſupplici mente & ore deprecamur, vt has diuerſi generis herbas & fructus, tua clementia bene✠dicas, & ſupra naturalem à te inditam virtutem, eis benedictionis tuæ nouæ gra-

uæ gratiam infundas, vt ad vsum hominibus & iumentis in nomine tuo applicatæ, omnium morborum & aduersitatum efficiantur præsidium. Per Dominum, &c.

DEvs qui per Moysen famulum tuum mandasti filijs Israël: vt manipulos nouorum fructuum benedicendos deferent ad Sacerdotes, tollerentque fructus arboris pulcherrimæ, & lætarentur coram te Domino Deo suo: adesto propitius inuocationibus nostris, & effunde tuæ bene ✠ dictionis abundantiam super nos, & super hos manipulos nouarum frugum, vuarum, herbarum, & fructuum collectionem, quæ cum gratiarum actione tibi representamus, & in nomine tuo in hac solennitate bene ✠ dicimus: & concede, vt hominibus, pecoribus, pecudibus, & iumentis, cōtra morbos, pestes, vlcera, maleficia, incantationes, veneficia, serpentum, & aliorum venenosorum animalium & bestiarum morsus, necnon quæcunq; venena, remedium præstent; atque contra diabolicas illusiones, & machinationes, & fraudes tutamen ferant, in quocunq; loco positum, vel portatum, aut habetur aliquid ex eis. Quatenus cum manipulis bonorum operum, meritis beatæ Mariæ Virginis, cuius Assumptionis festum colimus, quo ipsa assumpta est, suscipi mereamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

Oremus.

DEvs, qui virgam Iesse, genitricem Filij tui Domini nostri Iesu Christi, hodierna die ad cælorum fastigia ideo euexisti, vt per eius suffragia & patrocinia fructum ventris illius, eundem Filium tuum, mortalitati nostræ communicares: te supplices exoramus, vt eiusdem Filij tui virtute, eiusque genitricis glorioso patrocinio, istorum terræ fructuum præsidiis, per temporalem ad æternam salutem disponamur. Per eundem Christum Dominum nostrum.

Et benedictio Dei omnipotentis, Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ sancti, descendat super has creaturas, & maneat semper. ℟. Amen.

Postea

Postea thurificantur herbæ, & aqua benedicta aspergantur: & succedat Processio cum cantu Responsorij, Vidi speciosam, &c. vel alio festo & officio congruenti.

De Processione die decima Octobris.

Hæc Processio in Gratiarum actionem, pro victoria de Turcis obtenta, approbata est per Breue Greg: XV. quod habetur ad calcem Synodi Gembicianæ.

Obseruetur ordo huius Processionis ex Rituali Romano, vti pro Gratiarum actione, quæ infra ponitur, sub titulo: Preces dicendæ in Processione, pro Gratiarum actione. Addenda tamen erit Oratio propria vltimo loco, quæ sequitur:

DOmine Deus exercituum, qui interueniente Beata Virgine MARIA, & Sanctis Regni nostri Patronis, immanem Turcarum exercitum, in cladem Poloniæ congregatum, magna cum ignominia repulisti, gratias tibi suppliciter reddimus, maiestatem tuam deprecantes, vt à quibus virgam furoris tui auertisti, eosdem ad te verè conuerti largiaris. Per Dominum, &c.

DE PROCESSIONE
generali, pro Fidelibus Defunctis.

COmmemoratio vniuersalis omnium fidelium Defunctorum, ex vetustissimo Ecclesiæ instituto, optimaq; ratione, celebratur postridie festi Omnium Sanctorum. Memoria verò minus vniuersalis propriorum mortuorum, cùm secundùm locorum consuetudinem, in trinos, septenos, tricesimos, & vsq; in centesimos dies partiri soleat: nostra Prouincia satis commodè, in quatuor æquales anni partes illam reduxit. Quibus temporibus in Ecclesia fit Officium pro Defunctis, cum Missa & Processionibus, ad hunc qui sequitur modum:

DIe Omnium Sanctorum, & singulis Dominicis, vbi est consuetudo, post quatuor tempora proximis, absoluto Officio diei Vespertino, Sacerdos Officians lugubri pluuiali indutus, ordinet Processionem circa, vel si incommodum erit, intra Ecclesiam; cui omissis vexillis præferatur

primo

primo crux, & si fieri potest, duo ceroferarij cum luminibus eam præcedant: sequatur consueto ordine chorus puerorum, Cantorum, & vbi adsunt, Sacerdotum. Succedant ante ipsum Officiantem duo ministri, quorum vnus aqua benedicta aspergat obuia sepulchra, alter thuribulo prius benedicto, quatenus commodum erit, incenset: sequatur vltimò populus, qui de eiusmodi officio maturius præmoneri debet. In primo progressu cantetur Antiphona, Absolue Domine. cum pulsu campanarum: quod in reliquis Responsorijs seruetur. cantu finito subsistendo, Officians cum alijs omnibus genuflexus, cantat tono consueto lugubri: Kyrie eleison. ℟. Christe eleison. Kyrie eleison. Deinde voce intelligibili inchoat Sacerdos, Pater noster. Finita ab omnibus in silentio Oratione Dominica, prosequitur: Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animas eorum.
℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Deinde surgendo. Oremus.

DEus, qui inter Apostolicos Sacerdotes, famulos tuos Pontificali, seu Sacerdotali, & Clericali fecisti dignitate vigere: præsta, quæsumus, vt eorum quoq; perpetuo aggregentur consortio. Per Dominum nostrum, &c. ℟. Amen.

Similimodo fiant reliquæ quatuor Stationes, mutatis tamen Responsorijs & Orationibus, hoc ordine.

Ad secundam Stationem Responsorium. Credo, quod redemptor meus viuit. Oremus.

DEus, qui nos patrem & matrem honorare præcepisti, miserere clementer animabus patris ac matris meæ, eorumq; peccata dimitte, meq; eos in æterna claritate fac videre. Per Christum Dominum nostrum.

Ad tertiam Stationem Responsorium. Qui Lazarum, &c.

Oratio.

Oratio.

DEus veniæ largitor, & humanæ salutis amator: quæsumus clementiam tuam, vt nostræ congregationis fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium peruenire concedas. Per Christum Dominum nostrum.

Ad quartam Stationem Responsorium. Peccantem me quotidie, &c.

Oratio.

DEus, cuius miseratione animæ fidelium requiescunt; famulis & famulabus tuis omnibus, hic & vbiq; in Christo quiescentibus: da propitius suorum veniam peccatorum, vt à cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine lætentur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Ad vltimam Stationem, quæ ad altare maius terminari debet, Responsorium. Libera me Domine, &c.

Oremus.

FIdelium omnium Deus conditor & redemptor, animabus famulorum, famularumq; tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorum, vt indulgentiam quam semper optauerunt, piis supplicationibus consequantur. Qui viuis & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Demum concludat Sacerdos tono consueto: Requiescant in pace. ℟. Amen. Postremò canitur Antiphona: Salue Regina. cum suo Versu et Collecta

Sequentibus diebus, hoc est, die Animarum (nisi in diem Dominicum incidat tunc enim transfertur in sequentem) & primis ferijs secundis post quatuor tempora nisi Festum duplex similiter transferre cogat, ante Missam pro Defunctis in qua oblationes fieri debent, fiat similis Processio; & vbi

& vbi est consuetudo vel obligatio, Vigiliæ, seu Matutinum, cum Laudibus Defunctorum, seruatis omnibus suprà scriptis. Quia verò Missale Romanum continet sequentiam in Missa pro Defunctis, maximè die Animarum, & in die depositionis defuncti dicendam: operæpretium visum est, eam cum suis notis hoc loco apponere.





saluan-

ſal uan do ſaluas gratis, ſal ua me fons pie-

tatis. Recorda re Ie ſu pi e, quòd ſum

cauſa tuæ vi æ, ne me per das il la di e.

Quærẽs me ſe di ſti laſſus: redemiſti crucem

paſſus, tantus la bor non ſit caſſus. Iuſtæ

Iu dex vl ti o nis, donum fac remiſſi o nis,

ante diem ra ti onis. Inge mi ſco tan-

quam

quam re us: cul pa rubet vultus me us: ſupplican-

ti parce Deus. Qui Mariam abſoluiſti, &

latro nem exaudiſti: mi hi quoque ſpem dediſti.

Preces meæ non ſunt dignæ: ſed tu bo nus fac beni-

gnè: ne pe renni cremer igne. Inter oues

lo cum præſta, & ab hædis me ſe queſtra, ſtatuens

in parte dextra. Confutatis ma ledi-

ctis,

ctis, flammis acribus ad dictis, voca me cum

benedictis. Oro sup plex & accli uis: cor

contritum quasi cinis, gere curam mei finis.

Lachrymo sa di es il la, qua resurget ex

fauil la. Iudicandus ho mo reus. Huic

ergo par ce Deus. Pi e Iesu Domine, dona

e is requiem. A men.

DE PROCESSIONIBVS EXTRAORDINARIIS.

De Processione ad petendam pluuiam.

AGuntur omnia, vt supra in Litanijs maioribus, vsque ad finem Litaniarum, in quarum Precibus, bis dicitur: Vt congruentem pluuiam fidelibus tuis concedere digneris, Te rogamus audi nos: In fine postea dicitur Pater noster. secretò.

℣. Et ne nos inducas in tentationẽ. ℟. Sed libera nos à malo.

Psalmus 146.

LAudate Dominum, quoniam bonus est Psalmus: Deo nostro sit iucunda, decoraq; laudatio.

Ædificans Ierusalem Dominus: dispersiones Israëlis congregabit.

Qui sanat contritos corde: & alligat contritiones eorum.

Qui numerat multitudinẽ stellarũ: & omnibus eis nomina vocat.

Magnus Dominus noster, & magna virtus eius: & sapientiæ eius non est numerus.

Suscipiens mansuetos Dominus: humiliatus autem peccatores vsque ad terram.

Præcinite Domino in confessione: psallite Deo nostro in cithara.

Qui operit cœlum nubibus: & parat terræ pluuiam.

Qui producit in montibus fænum: & herbã seruituti hominum.

Qui dat iumentis escam ipsorum: & pullis coruorum inuocantibus eum.

Non in fortitudine equi voluntatem habebit: nec in tibijs viri beneplacitum erit ei.

Beneplacitum est Domino super timentes eum: & in eis qui sperant super misericordia eius.

Gloria Patri, &c.

Sicut erat in principio, &c.

Quo

Quo finito dicantur Preces. ℣. Operi Domine cœlũ nubibus. ℟. Et para terræ pluuiam. ℣. Vt producat in montibus fænum. ℟. Et herbam seruituti hominum. ℣. Riga montes de superioribus tuis. ℟. Et de fructu operum tuorum satiabitur terra. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, in quo viuimus, mouemur, & sumus, pluuiam nobis tribue congruentem, vt præsentibus auxilijs sufficienter adiuti, sempiterna fiducialiùs appetamus.

Oratio.

PRæsta, quæsumus omnipotens Deus, vt qui in afflictione nostra, de tua pietate confidimus, contra aduersa omnia tua semper protectione muniamur.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Domine, pluuiam salutarem, & aridam terræ faciem fluentis cælestibus dignanter infunde. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. ℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias. ℣. Exaudiat nos omnipotens & misericors Dominus. ℟. Amen. ℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei, requiescant in pace. ℟. Amen.

PROCESSIO AD POSTVLANDAM serenitatem.

OMnia fiant, vt supra in Litanijs maioribus; & in Litaniarum Precibus, bis dicatur: Vt fidelibus tuis aëris serenitatem concedere digneris, Te rogamus audi nos. Ad finem obsecrationum dicitur Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

Psal-

Psalmus 66.

DEus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.

Vt cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur & exultent gentes: quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.

℣. Adduxisti Domine, Spiritum tuum super terram. ℟. Et prohibitæ sunt pluuiæ de cœlo. ℣. Cùm obduxero nubibus cœlum. ℟. Apparebit arcus meus, & recordabor fœderis mei. ℣. Illustra faciem tuam Domine, super seruos tuos. ℟. Et benedic sperantes in te. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cũ spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, auerte.

Oratio.

AD te nos Domine, clamantes exaudi, & aëris serenitatem nobis tribue supplicantibus: vt qui iustè pro peccatis nostris affligimur, misericordia tua præueniente clementiam sentiamus.

Oratio.

Quæsu-

QVæsumus omnipotens Deus, clementiam tuam, vt inundantiam coerceas imbrium, & hilaritatem vultus tui nobis impertire digneris. Per Dominum nostrum, &c.

PRECES AD REPELLENDAM tempestatem.

PVlsantur campanæ, & qui adesse possunt, in Ecclesiam conuocatis, dicuntur Litaniæ ordinariæ, in quibus bis dicitur: A fulgure & tempestate, &c. & post Litanias, Orationem Dominicam.

Psalmus 147.

LAuda Ierusalem Dominum: lauda Deum tuum Sion.
QVoniam confortauit seras portarum tuarum: benedixit filijs tuis in te.
QVi posuit fines tuos pacem: & adipe frumenti satiat te.
QVi emittit eloquium suum terræ: velociter currit sermo eius.
QVi dat niuem sicut lanam: nebulam sicut cinerem spargit.
MIttit cristallum suam sicut buccellas: ante faciem frigoris eius quis sustinebit?
EMittet verbum suum, & liquefaciet ea: flabit spiritus eius, & fluent aquæ.
QVi annunciat verbum suum Iacob: iustitias & iudicia sua Israel.
NOn fecit taliter omni nationi: & iudicia sua non manifestauit eis.
GLoria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. ℟. Et salutare tuum da nobis. ℣. Adiuua nos Deus salutaris noster. ℟. Et propter gloriam nominis tui Domine, libera nos. ℣. Nihil proficiat inimicus in nobis. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis. ℣. Fiat misericordia tua Domine, super nos. ℟. Quemadmodum sperauimus in te. ℣. Saluum fac populum tuum Domine. ℟. Et benedic hæreditati tuæ, ℣. Non priuabis

priuabis bonis eos, qui ambulant in innocentia. ℟. Domine Deus virtutum, beatus homo, qui sperat in te. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, auerte.

Oratio.

ADomo tua, quæsumus Domine, spiritales nequitiæ repellantur, & aërearum discedat malignitas tempestatum.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, parce metuentibus, propitiare supplicibus: vt post noxios ignes nubium, & vim procellarũ, in misericordiam transeat laudis comminatio tempestatum.

Oratio.

DOmine Iesu, qui imperasti ventis, & mari, & facta fuit tranquillitas magna: exaudi preces familiæ tuæ, & præsta, vt hoc signo sanctæ Crucis ✠ omnis discedat sæuitia tempestatum.

Oratio.

OMnipotens & misericors Deus, qui nos & castigando sanas, & ignoscendo conseruas: præsta supplicibus tuis, vt & tranquillitatibus optatæ consolationis lætemur, & dono tuæ pietatis semper vtamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum; qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

PRECES DICENDÆ TEMPORE penuriæ, & famis.

AGuntur omnia, vt ſupra in Litanijs maioribus, vſq; ad finem Litaniarum, in quarum Precibus, bis dicitur: Vt fructus terræ dare & conſeruare digneris. Poſt Litanias dicitur Pater noſter, &c.

Pſalmus 22.

DOminus regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit.
Super aquam refectionis educauit me: animam meam conuertit.
Deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ: propter nomen ſuum.
Nam, & ſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es
Virga tua, & baculus tuus: ipſa me conſolata ſunt.
Paraſti in conſpectu meo menſam: aduerſus eos qui tribulant me.
Impinguaſti in oleo caput meum: & calix meus inebrians quam præclarus eſt!
Et miſericordia tua ſubſequetur me: omnibus diebus vitæ meæ.
Et vt inhabitem in domo Domini: in longitudinem dierum.
Gloria Patri, & Filio, &c.

℣. Domine non ſecundum peccata noſtra facias nobis. ℟. Neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis. ℣. Oculi omnium in te ſperant Domine. ℟. Et tu da illis eſcam in tempore opportuno. ℣. Memento congregationis tuæ. ℟. Quam poſſediſti ab initio. ℣. Dominus dabit benignitatem. ℟. Et terra noſtra dabit fructum ſuum. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

INeffabilem nobis Domine, miſericordiam tuam clementer oſtende: vt ſimul nos à peccatis omnibus exuas, & à pœnis, quas pro his meremur, eripias.

Oratio.

Oratio

DA nobis, quæſumus Domine, piæ ſupplicationis effectum, & famem propitiatus auerte; vt mortalium corda cognoſcant, & te indignante talia flagella prodire, & te miſerante ceſſare.

Oratio.

POpulum tibi ſubditum, pro peccatis ſuis fame laborantem, ad te Domine conuerte propitius, qui quærentibus regnum tuum, omnia adijcienda eſſe dixiſti. Qui viuis & regnas cum Deo, &c.

PROCESSIO TEMPORE MORtalitatis, & peſtis.

FIat vt ſuprà in Litanijs maioribus, & in Litaniarum Precibus, dicatur bis: A peſte, & fame, Libera nos Domine. & infra ſuo loco: Vt à peſtilentiæ flagello nos liberare digneris, &c. In fine Litaniarum dicitur Pater noſter, &c. ℣. Et ne nos inducas in tentationem, &c.

Pſalmus 6.

DOmine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.
Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.
Et anima mea turbata eſt valde: ſed tu Domine vſquequo?
Conuertere Domine, & eripe animam meam: ſaluum me fac propter miſericordiam tuam.
Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?
Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum: lachrymis meis ſtratum meum rigabo.
Turbatus eſt à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos.

Diſce-

Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.
Exaudiuit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.
Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: conuertantur & erubescant valde velociter.
Gloria Patri, & Filio, &c.

℣. Domine non secundum peccata nostra facias nobis. ℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. ℣. Adiuua nos Deus salutaris noster. ℟. Et propter gloriam nominis tui Domine, libera nos. ℣. Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum. ℟. Cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. ℣. Ora pro nobis sancte Sebastiane. ℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

EXaudi nos Deus salutaris noster, & intercedente beata & gloriosa Dei genitrice Maria semper Virgine, & beato Sebastiano martyre tuo, & omnibus Sanctis, populum tuum ab iracundiæ tuæ terroribus libera, & misericordiæ tuæ fac largitate securum.

Oratio.

PRopitiare Domine, supplicationibus nostris, & animarum, & corporum medere languoribus: vt remissione percepta, in tua semper benedictione lætemur.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Domine, piæ petitionis effectum, & pestilentiam, mortalitatemq; propitiatus auerte, vt mortalium corda cognoscant, & te indignante talia flagella prodire, & te miserante cessare. Per Dominum nostrum, &c.

PRECES

PRECES DICENDÆ IN LITANIIS tempore Belli.

PEractis omnibus, vt supra in Litanijs maioribus, ad finem Litaniarum dicitur Pater noster, &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

Psalmus 45.

DEus noster refugium & virtus: adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.
Propterea non timebimus dum turbabitur terra: & transferentur montes in cor maris.
Sonuerunt, & turbatæ sunt aquæ eorum: conturbati sunt montes in fortitudine eius.
Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.
Deus in medio eius non commouebitur: adiuuabit eam Deus mane diluculo.
Conturbatæ sunt gentes, & inclinata sunt regna: dedit vocem suam, mota est terra.
Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Iacob.
Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram: auferens bella vsq; ad finem terræ.
Arcum conteret, & confringet arma: & scuta comburet igni.
Vacate & videte, quoniam ego sum Deus: exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.
Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Iacob.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.

℣. Exurge Domine adiuua nos. ℟. Et libera nos propter nomen tuum. ℣. Saluum fac populum tuum Domine. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Fiat pax in virtute tua. ℟. Et abun-

dantia

dantia in turribus tuis. ℣. Esto nobis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Arcum contere, & confringe arma. ℟. Et scuta combure igni. ℣. Mitte nobis Domine auxilium de Sancto. ℟. Et de Sion tuere nos. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui conteris bella, & impugnatores in te sperantium potentia tuæ defensionis expugnas; auxiliare famulis tuis implorantibus misericordiam tuam, vt inimicorum suorum feritate depressa, incessabili te gratiarum actione laudemus.

Oratio.

DEus, à quo sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera, da seruis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; vt corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

Oratio.

HOstium nostrorum, quæsumus Domine, elide superbiam, & eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute prosterne. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Si verò bellum est contra Turcas, & alios infideles, vel Hæreticos, inter Preces Litaniarum bis dicatur: Vt inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, Te rogamus audi nos. & addatur: Vt Turcarum, vel Hæreticorum conatus reprimere, & ad nihilum redigere digneris, Te rogamus, &c. & dicto Pater noster, dicatur:

Psalmus 78.

DEus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam.

Posue-

Posuerunt morticinia seruorum tuorum escas volatilibus cœli: carnes sanctorum tuorum bestijs terræ.

Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Ierusalem: & non erat qui sepeliret.

Facti sumus opprobrium vicinis nostris: subsannatio, & illusio his, qui in circuitu nostro sunt.

Vsquequo Domine irasceris in finem: accendetur velut ignis zelus tuus?

Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt: & in regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt.

Quia comederunt Iacob: & locum eius desolauerunt.

Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis.

Adiuua nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui libera nos: propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Ne forte dicant in gentibus: Vbi est Deus eorum? & innotescat in nationibus coram oculis nostris.

Vltio sanguinis seruorum tuorum qui effusus est: introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.

Secundum magnitudinem brachij tui: posside filios mortificatorum.

Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: improperium ipsorum, quod exprobrauerunt tibi Domine.

Nos autem populus tuus, & oues pascuæ tuæ: confitebimur tibi in sæculum.

In generationem & generationem: annuntiabimus laudem tuam.

Gloria Patri, & Filio, &c.

℣. Saluos fac seruos tuos. ℟. Deus meus sperantes in te. ℣. Esto nobis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in nobis. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis. ℣. Hostium nominis tui Domine elide super-

ſuperbiam. ℟. Et eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute proſterne. ℣. Fiant tanquam puluis ante faciem venti. ℟. Et Angelus Domini perſequatur eos. ℣. Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt. ℟. Et in regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt. ℣. Mitte nobis Domine auxilium de Sancto. ℟. Et de Sion tuere nos. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DA, quæſumus, Eccleſiæ tuæ, miſericors Deus, vt ſancto Spiritu congregata, hoſtili nullatenus incurſione turbetur.

Oratio.

DEvs, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui ſupplicantis propitius reſpice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur, auerte.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, in cuius manu ſunt omnium poteſtates, & omnium iura regnorum, reſpice in auxilium Chriſtianorum, vt gentes Turcarum, ſeu Hæreticorum, quæ in ſua feritate confidunt, dexteræ tuæ potentia conterantur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, &c. Exaudiat nos Dominus. Amen.

PROCESSIO IN QVACVNQVE tribulatione.

SEruatis omnibus, vt ſupra in Litanijs maioribus, finitiſque Litanijs, dicitur Pater noſter, &c. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

Pſalmus 19.

EXaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Iacob.

Mittat

Mittat tibi auxilium de Sancto: & de Sion tueatur te.
Memor ſit omnis ſacrificij tui: & holocauſtum tuum pingue fiat.
Tribuat tibi ſecundum cor tuum: & omne conſilium tuum confirmet.
Lætabimur in ſalutari tuo: & in nomine Dei noſtri magnificabimur.
Impleat Dominus omnes petitiones tuas: tunc cognoui, quoniam ſaluum fecit Dominus Chriſtum ſuum.
Exaudiet illũ de cœlo ſancto ſuo: in potẽtatibus ſalus dexteræ eius.
Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus.
Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt: nos autem ſurreximus, & erecti ſumus.
Domine ſaluum fac Regem: & exaudi nos in die, qua inuocauerimus te.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, &c.

Vel Pſalmum 90.

QVi habitat in adiutorio Altiſſimi: in protectione Dei cœli commorabitur.
Dicet Domino, ſuſceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus ſperabo in eum.
Quoniam ipſe liberauit me de laqueo venantiũ: & à verbo aſpero.
Scapulis ſuis obumbrabit tibi: & ſub pennis eius ſperabis.
Scuto circumdabit te veritas eius: nõ timebis à timore nocturno.
A ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris: ab incurſu & dæmonio meridiano.
Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.
Verumtamen oculis tuis conſiderabis: & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine ſpes mea: altiſſimum poſuiſti refugium tuum.
Non accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.
Quoniam Angelis ſuis mandauit de te: vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.
In manibus portabunt te: ne fortè offendas ad lapidẽ pedẽ tuum.
Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.
Quoniam in me ſperauit, liberabo eum: protegam eum quoniam cognouit nomen meum.
Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione; eripiam eum, & glorificabo eum.
Longitudine dierum replebo eum: & oſtendã illi ſalutare meum.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Quo finito dicuntur Verſus. Deus refugium noſtrum & virtus. ℟. Adiutor in tribulationibus. ℣. Saluos fac ſeruos tuos Domine. ℟. Deus meus ſperantes in te. ℣. Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis. ℟. Miſerere nobis. ℣. Adiuua nos Deus ſalutaris noſter. ℟. Et propter gloriam nominis tui Domine, libera nos. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

NE deſpicias omnipotens Deus, populum tuum in afflictione clamantem, ſed propter gloriam nominis tui tribulatis ſuccurre placatus.

Oratio.

INeffabilem miſericordiam tuam, Domine, nobis clementer oſtende, vt ſimul nos & à peccatis omnibus exuas, & à pœnis, quas pro his meremur, eripias.

Oratio.

COncede nos famulos tuos, quæſumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis ſanitate gaudere, & glorioſa beatæ Mariæ

Mariæ ſemper Virginis interceſſione, à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia.

Oratio.

TRibulationem noſtram, quæſumus Domine, propitius reſpice, & iram tuæ indignationis, quam iuſtè meremur, auerte.

Oratio.

DEvs refugium noſtrum & virtus, adeſto pijs Eccleſiæ tuæ precibus auctor ipſe pietatis: & præſta, vt quod fideliter petimus, efficacitet conſequamur. Per Dominum noſtrum, &c.

Oratio tempore Interregni.

DEvs Regnorum omnium auctor, protector, & cuſtos: reſpice quæſumus, in noui Regis noſtri electionem, vt dextera tua interueniente eligatur, qui Eccleſiæ tuæ fidelis te dirigente tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat. Per Dominum, &c.

PRECES DICENDÆ IN PROCESSIONE, pro Gratiarum actione.

Initio Proceſſionis, cantatur Hymnus.

TE Deum laudamus: te Dominum confitemur.
Te æternum Patrem: omnis terra veneratur.
Tibi omnes Angeli: tibi cœli & vniuerſæ poteſtates.
Tibi Cherubim & Seraphim: inceſſabili voce proclamant.
Sanctus, Sanctus, Sanctus: Dominus Deus Sabaoth.
Pleni ſunt cœli, & terra: maieſtatis gloriæ tuæ.
Te glorioſus Apoſtolorum chorus.
Te Prophetarum laudabilis numerus.
Te Martyrum candidatus laudat exercitus.
Te per orbem terrarum, ſancta confitetur Eccleſia.
Patrem immenſæ maieſtatis.
Venerandum tuum verum, & vnicum Filium.

San-

Sanctum quoque paraclitum Spiritum.
Tu Rex gloriæ Christe.
Tu Patris sempiternus es Filius.
Tu ab liberandum suscepturus hominem : non horruisti virginis vterum.
Tu deuicto mortis aculeo : aperuisti credentibus regna cælorum.
Tu ad dexteram Dei sedes : in gloria Patris.
Iudex crederis esse venturus.
Te ergo quæsumus, tuis famulis subueni : quos pretioso sanguine redemisti.
Æterna fac cum Sanctis tuis : gloria munerari.
Saluum fac populum tuum Domine : & benedic hæreditati tuæ.
Et rege eos : & extolle illos vsque in æternum.
Per singulos dies benedicimus te.
Et laudamus nomen tuum in sæculum : & in sæculum sæculi.
Dignare Domine die isto : sine peccato nos custodire.
Miserere nostri Domine : miserere nostri.
Fiat misericordia tua Domine super nos : quemadmodum speraui-mus in te.
In te Domine speraui, non confundar in æternum.

Deinde dici poterunt Psalmi, qui sequuntur, prout tempus feret.

Psalmus 65.

IVbilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini eius : date gloriam laudi eius.
Dicite Deo, quam terribilia sunt opera tua Domine : in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.
Omnis terra adoret te, & psallat tibi : psalmum dicat nomini tuo.
Venite, & videte opera Dei : terribilis in consilijs super filios hominum.
Qui conuertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede : ibi lætabimur in ipso.
Qui dominatur in virtute sua in æternum, oculi eius super gentes respici-

respiciunt : qui exasperant, non exaltentur in semetipsis.
Benedicite gentes Deum nostrum : & auditam facite vocem laudis eius.
Qui posuit animam meam ad vitam : & non dedit in commotionem pedes meos.
Quoniam probasti nos Deus : igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.
Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro : imposuisti homines super capita nostra.
Transiuimus per ignem & aquam : & eduxisti nos in refrigerium.
Introibo in domum tuam in holocaustis : reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.
Et locutum est os meum : in tribulatione mea.
Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum : offeram tici boues cum hircis.
Venite, audite, & narrabo omnes, qui timetis Deum : quanta fecit animæ meæ.
Ad ipsum ore meo clamaui : & exaltaui sub lingua mea.
Iniquitatem si aspexi in corde meo : non exaudiet Dominus.
Propterea exaudiuit Deus : & attendit voci deprecationis meæ.
Benedictus Deus : qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam à me.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.

Psalmus 80.

EXultate Deo adiutori nostro : iubilate Deo Iacob.
Sumite psalmum, & date tympanum : psalterium iucundum cum cithara.
Buccinate in Neomenia tuba : in insigni die solemnitatis vestræ.
Quia præceptum in Israel est : & iudicium Deo Iacob.
Testimonium in Ioseph posuit illud, cùm exiret de terra Ægypti : linguam, quam non nouerat, audiuit.

Diuertit ab oneribus dorsũ eius: manus eius in cophino seruierunt.
In tribulatione inuocasti me, & liberaui te: exaudiui te in absconditio tempestatis, probaui te apud aquam contradictionis.
Audi populus meus, & contestabor te: Israel si audieris me, non erit in te Deus recens, neq; adorabis Deum alienum.
Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: dilata os tuum, & implebo illud.
Et non audiuit populus meus vocem meam: & Israel non intendit mihi.
Et dimisi eos secundùm desideria cordis eorum: ibunt in adinuentionibus suis.
Si populus meus audisset me: Israël si in vijs meis ambulasset.
Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem: & super tribulantes eos misissem manum meam.
Inimici Domini mentiti sunt ei: & erit tempus eorum in sæcula.
Et cibauit eos ex adipe frumenti: & de petra melle saturauit eos.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Psalmus 95.

CAntate Domino canticum nouum: cantate Domino omnis terra.
Cantate Domino, & benedicite nomini eius: annunciate de die in diem salutare eius.
Annunciate inter gentes gloriam eius: in omnibus populis mirabilia eius.
Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis: terribilis est super omnes deos.
Quoniam omnes dij gentium dæmonia: Dominus autem cœlos fecit.
Confessio & pulchritudo in conspectu eius: sanctimonia & magnificentia in sanctificatione eius.
Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam & honorem: afferte Domino gloriam nomini eius.

Tollite

Tollite hostias, & introite in atria eius: adorate Dominum in atrio sancto eius.
Commoueatur à facie eius vniuersa terra: dicite in gentibus, quia Dominus regnauit.
Etenim correxit orbem terræ qui non commouebitur: iudicabit populos in æquitate.
Lætentur cæli, & exultet terra, commoueatur mare, & plenitudo eius: gaudebunt campi, & omnia quæ in eis sunt.
Tunc exultabunt omnia ligna syluarum à facie Domini, qui venit: quoniam venit iudicare terram.
Iudicabit orbem terræ in æquitate: & populos in veritate sua.
Gloria Patri, &c.

Psalmus 99.

IVbilate Deo omnis terra: seruite Domino in lætitia.
Introite in conspectu eius: in exultatione.
Scitote quoniam Dominus ipse est Deus: ipse fecit nos, & non ipsi nos.
Populus eius, & oues pascuæ eius: introite portas eius in confessione, atria eius in hymnis confitemini illi.
Laudate nomen eius, quoniam suauis est Dominus, in æternũ misericordia eius: & vsq; in generationẽ & generationem veritas eius.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Psalmus 120.

BEnedic anima mea Domino: & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto tuo.
Benedic anima mea Domino: & noli obliuisci omnes retributiones eius.
Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas.
Qui redimit de interitu viam tuam: qui coronat te in misericordia & miserationibus.
Qui replet in bonis desiderium tuum: renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.

Faci-

Faciens misericordias Dominus : & iudicium omnibus iniuriam patientibus.
Notas fecit vias suas Moysi : filijs Israel voluntates suas.
Misericors & miserator Dominus : longanimis, & multum misericors.
Non in perpetuum irascetur : neq; in æternum comminabitur.
Non secundum peccata nostra fecit nobis : neq; secundum iniquitates nostras retribuit nobis.
Quoniam secundum altitudinem cœli à terra : corroborauit misericordiam suam super timentes se.
Quantum distat ortus ab occidente : longe fecit à nobis iniquitates nostras.
Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se : quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.
Recordatus est, quoniam puluis sumus : homo sicut fœnum, dies eius, tanquam flos agri sic efflorebit.
Quoniam spiritus pertransibit in illo, & non subsistet : & non cognoscet amplius locum suum.
Misericordia autem Domini ab æterno : & vsq; in æternum super timentes eum.
Et iustitia illius in filios filiorum : his qui seruant testamentum eius.
Et memores sunt mandatorum ipsius : ad faciendum ea.
Dominus in cœlo parauit sedem : & regnum ipsius omnibus dominabitur.
Benedicite Domino omnes Angeli eius : potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius.
Benedicite Domino omnes virtutes eius : ministri eius, qui facitis voluntatem eius.
Benedicite Domino omnia opera eius : in omni loco dominationis eius, benedic anima mea Domino.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.
Sicut erat in principio, &c.

Psalmus

Psalmus 116.

Laudate Dominum omnes gentes : laudate eum omnes populi.
Quoniam confirmata est super nos misericordia eius : & veritas Domini manet in æternum.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Psalmus 148.

Laudate Dominum de cœlis : laudate eum in excelsis.
Laudate eũ omnes Angeli eius : laudate eũ omnes virtutes eius.
Laudate eum sol & luna : laudate eum omnes stellæ & lumen.
Laudate eum cœli cœlorum : & aquæ omnes quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.
Quia ipse dixit, & facta sunt : ipse mandauit, & creata sunt.
Statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi : præceptum posuit, & non præteribit.
Laudate Dominum de terra : dracones, & omnes abyssi.
Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarũ : quæ faciunt verbũ eius.
Montes, & omnes colles : ligna fructifera, & omnes cedri.
Bestiæ, & vniuersa pecora : serpentes, & volucres pennatæ.
Reges terræ, & omnes populi : Principes, & omnes iudices terræ.
Iuuenes, & virgines, senes cum iunioribus, laudent nomen Domini : quia exaltatum est nomen eius solius.
Confessio eius super cœlum & terrã : & exaltauit cornu populi sui.
Hymnus omnibus Sanctis eius : filijs Israël, populo appropinquanti sibi.

Psalmus 149.

Cantate Domino canticum nouum : laus eius in Ecclesia sanctorum.
Lætetur Israel in eo, qui fecit eum : & filij Sion exultent in Rege suo.
Laudent nomen eius in choro : in tympano & psalterio psallant ei.
Quia beneplacitum est Domino in populo suo : & exaltabit mansuetos in salutem.
Exultabunt sancti in gloria : lætabuntur in cubilibus suis.
Exaltationes Dei in gutture eorum : & gladij ancipites in manibus eorum.

Ad fa-

Et tu puer propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini, parare vias eius. (eorum.

Ad dandam scientiam salutis plebi eius: in remissionem peccatorũ

Per viscera misericordiæ Dei nostri: quibus visitauit nos oriens ex alto.

Illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Hæc autem prædicta, prout longitudo itineris postulauerit, vel omnia vel ex parte cantari possunt. Deinde in Ecclesia, vbi fit statio, ante altare dicuntur sequentes versus, & Orationes.

℣. Benedictus es Domine Deus Patrum nostrorum. ℟. Et laudabilis, & gloriosus in sæcula. ℣. Benedicamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu. ℟. Laudemus & superexaltemus eum in sæcula. ℣. Benedictus es Domine in firmamento cœli. ℟. Et laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula. ℣. Benedic anima mea Domino. ℟. Et noli obliuisci omnes retributiones eius. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, cuius misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus: pijssimæ maiestati tuæ, pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes; vt qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad præmia futura disponas.

Oratio.

DEus, qui corda fidelium, sancti Spiritus illustratione docuisti; da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere.

Oratio.

DEus, qui neminem in te sperantem nimium affligi permittit, sed pium precibus præstas auditum, pro postulationibus nostris, votisq; susceptis, gratias agimus, te pijssimè deprecantes, vt à cunctis semper muniamur aduersis. Per Dominum nostrum, &c.

DE PRO-

DE PROCESSIONE IN TRANSLATIONE sacrarum Reliquiarum insignitum.

ECclesia, & viæ, per quas transeundum est, quàm fieri potest, decentius ornetur. Sacerdotes, & ministri vestibus induti, albi, vel rubei coloris, prout Sancti, quorum Reliquiæ transferuntur, exposcunt, & cum luminaribus accensis omnes procedant, decantantes Litanias cum inuocatione Sanctorum, quorum Reliquiæ deferuntur; & Hymnum, Te Deum, &c. & Psalmum, Laudate Dominum de cœlis. cum duobus sequentibus; & alios Psalmos, & Hymnos, de proprio, vel de communi eorum sanctorum, quorum Reliquiæ transferuntur.

Appendix quorundam pro rudioribus, & ex vsu Prouinciæ.

De his, quæ interdicti tempore prohibentur.

DVrante Interdicto, Diuina Officia non fiant in Ecclesiis, nisi cum conditionibus, & in certis priuilegiatis diebus Chrisma consecratur. Nulla verò Sacramenta Ecclesiastica administrantur, nisi Baptismus, Confirmatio, *&* Pœnitentia, *omnibus differenter.* Eucharistia *infirmis, & in periculo mortis constitutis tantùm. Matrimonia sine Ecclesiastica solennitate contrahuntur. Decedentes laici in eisdem locis, Ecclesiastica carent sepultura Clerici, ea quæ sunt Ordinis, exercere prohibentur, nisi in casibus à Iure expressis. Vide Bullam Prouincialem,* lib: 4. Constit: Prouinc. *titulo,* de Priuileg.

Casus, in quibus Ecclesiæ, Cæmiteria, & Altaria, consecrari, aut reconciliari debent.

QVælibet Ecclesia de nouo constructa, debet consecrari, quæ licet sit consecrata, tribus casibus indiget consecratione.

Primò, *si nescitur, vel dubitatur, an fuerit consecrata, nec apparet aliqua scriptura, munimentum, seu alia quæuis probatio: tali verò casu sufficit vnius testis de visu, vel auditis testimonium, quando quidem non agitur de præiudicio alicuius.*

Secundò: *Si Ecclesia exusta, parietes sint combusti, vel in interiori parte Ecclesiæ notabiliter decrustati, in toto, vel in parte maiori; quia consecratio Ecclesiæ in interiori parte consistit, vbi linitio & cruces fiunt. Si autem solum tectum comburatur, non est consecranda.*

Tertiò: *Si parietes in toto, vel in parte maiore corruerint, ita quòd denuo oporteat eos simul reficere, etiam ex lapidibus eisdem: secus, si corruerit solũ tectũ.*

Porrò Ecclesia consecrata, quinq; casibus polluitur, indigens reconciliatione, & non consecratione.

Primò: *Propter homicidium in ea perpetratum, etiam sine sanguine.*

Secundò: *Propter violentam & iniuriosam sanguinis humani effusionem.*

Tertiò: *Propter commissum in ea adulterium, vel quamlibet seminis humani effusionem voluntariam.*

Quartò: *Si in ea sepeliatur excommunicatus Hæreticus, vel paganus, seu infidelis. Quo casu, talium corpora exhumanda, & proijcienda sunt, si discerni possunt ab alijs.*

Quintò: *Si Ecclesia (& idem de Altari ac Cæmeterio) ab Episcopo publicè excommunicato consecretur, vel etiam reconcilietur, seu benedicatur: quia ante reconciliationem, nec celebrari, nec sepeliri ibi aliquis debet. Quod in omnibus Casibus suprà dictis intelligendum, nisi in Casibus à iure expressis.*

Cæmeterium nouum est consecrandum, consecratum verò ijsdem modis, quibus Ecclesia violatur, & reconciliatur. Si dubitatur esse consecratum, idem fit, quod circa Ecclesiam, de cuius consecratione dubitatur: debet enim consecrari. Porrò violata Ecclesia, censetur etiam violatum esse Cæmeterium, si Ecclesiæ est contiguum, alias secus.

Si autem Cæmeterium est violatum, non ideo Ecclesia est execrata, ne minus dignum videatur trahere magis dignum.

Quod si duo Cæmeteria sint contigua, intercedente tamen pariete, vno ex illis polluto, aliud non censetur esse pollutum, etiamsi porta esset in pariete, per quam accessus esset ab vno ad aliud. Quocunq; autem modo sit pollutum Cæmeterium, nemo sepeliri in eo debet, antequam reconcilietur.

Et quoties reconciliandum erit ob sepultum in eo Hæreticum aut infidelem, prius corpus exhumandum est, & proijciendum, si discerni potest, vti de Ecclesia dictum est. Quando Ecclesia vel Cæmeterium occultè polluitur, & pollutio non deuenit ad notitiam hominum, non est opus reconciliatione: Polluens tamen Ecclesiam secreto, tenetur ad grauem pœnitentiam, & est casus Episcopalis, ratione sacrilegij.

Altare

Altare est duplex. Vnum scilicet stabile & fixum: alterum mobile seu portatile, quod & viaticum appellatur. Vtrunq; consecratur per Episcopum. Portatilis vsus est in defectu non consecratorum, vel non reconciliatorum altarium stabilium: super quo tamen in Ecclesia non consecrata, celebrare non licet absque licentia Episcopi. Quotiens verò Ecclesia execratur, seu polluitur, totiens etiam altare stabile consecratum in ea existens polluitur, & è contra, & in tali altari sic polluto, celebrari non debet, donec reconcilietur. Altare autem reconsecrari debet in casu fractionis, vel destructionis, aut motionis sigilli altaris portatilis, aut tabulæ seu mensæ lapidis violatæ, vel effractæ, aut destructæ. De quorum aliquo ex præmissis, si dubitet, aut non sit resolutus Sacerdos, consulere debet Episcopum, aut eius Vicarium.

THVRIFICATIONIS MODVS
in Vesperis.

THurificatio altarium, fit tantùm more Romanæ Ecclesiæ in primis Vesperis festorum solennium. Vnde sequitur, quòd exceptis Vigilijs, in tribus sequentibus diebus festis, Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes, omitti debet: similiter & in alijs diebus festis, nisi à Capitulo fiat Officium de futuro festo solenni. Fieri autem debet hoc ordine: Ad Canticum Magnificat, Officians in pluuiali, tempori congruenti, ante maius altare, accipit à Diacono vel ministro thuribulum accensum: & imposito ex nauicula incenso, dicente Diacono: Iube Domne benedicere. Respondet benedicendo in forma crucis: Incensum istud dignetur Dominus benedicere, & in odorem suauitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Deinde accedit ad maius altare, & illud osculatur; ibiq; accepto à ministro thuribulo, facta reuerentia, incæpto Magnificat, incensat altare maius, eo modo, qui in Missali de thurificatione in Missa solenni præscriptus est. Si verò venerabile Sacramentum in altari expositum est, vel ibi sit Ciborium, prius illud thurificet, triplici ductu. Deinde crucem & ipsum altare, dicendo: Dirigatur Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Finita thurificatione, reddit thuribulum ministro, & facta reuerentia (seu venerabili Sacramento genuflexione) recedit. Deinde si Ciborium sit in

um sit in vicino altari, ad illud adolendum procedatur; alioqui si remotius fuerit, in suo ordine incensetur. Poterit autem omitti, vel etiam pro maioris festi solennitate fieri aliorum altarium thurificatio, prouiso, vt ante finem Cantici **Magnificat,** tempestiuè ad proprium locum Officians redeat, vbi stans ab assistente seniore Sacerdote, thurificari debet. Clerum autem & populum thurificabit, si adest, Vicarius vel Subdiaconus, seu ipse hebdomadarius, iuxta locorum consuetudinem. Aduertat autem is qui incensat, vt ab incensatione tunc desistat, cùm officians incipit velle cantare, **Dominus vobiscum,** ante orationem, hoc est cantu, **Magnificat,** finito.

Cæterùm altaria non thurificentur, nisi candelæ in eis accensæ, & mensæ altarium decenter fuerint ornatæ.

EXCEPTIO NOVI ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPI.

Ad primum Ciuitatis ingressum, post consecrationem.

MAior Prælatus, siue Rector Ecclesiæ, superpelliceo & pluuiali prætiosiore indutus, cum suo Clero, & vniuerso populo, præcedentibus vexillis & candelis, ac Sacerdotibus reliquias deferentibus, nouum Antistitem ad primum ingressum post consecrationem excepturus, extra ciuitatem processionaliter vadat, vsque ad oratorium, seu locum aliquem decentem, in quo mensa (vbi altare nullum est) strata sit, ad reponendum in eam Sanctorum Reliquias.

Tunc Prælatus seu Rector, flexis ad eandem mensam genibus, crucem, aut alias reliquias, Episcopo postquam Offertorium fecerit, similiter genua flectenti, exosculandas, debita reuerentia porrigat: Et tunc cum cantu Responsorij, **Posui adiutorium super potentem, &c.** (vt post lectionem quinam, de Communi Confessoris Pontificis) vsq; in Ecclesiam deducatur.





Quod si non sufficiat, cantatur etiam Responsorium de Patrono Ecclesiæ illius, resonantibus interim Ecclesiæ campanis. Ingrediente autem Episcopo Ecclesiam, mox solenniter incipiatur Canticum, Te Deum laudamus. Ibidemq; statim Prælatus offert Episcopo reuerenter aspersorium cum aqua benedicta, quo aspergit Episcopum primò seipsum, deinde alios. Tum deducitur ad altare maius, vbi super faldistorio ante infimum gradum altaris parato, siue cathedra parata, procumbit, vel alias ad pedem eiusdem altaris genua flectit, & orat. Finito autem cantico, Prælato eiusdem Ecclesiæ, super eo in cornu Epistolæ altaris versus ad orantem dicat:

℣. Exaltent eum in Ecclesia plebis. ℟. Et in cathedra seniorum laudent eum. ℣. Mitte ei auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eum. ℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Oremus.

DEus omnium fidelium pastor & rector, famulum tuum Episcopum nostrum, quem Ecclesiæ ruæ præesse voluisti, propitius respice: da ei quæsumus, verbo & exemplo, quibus præest proficere, vt ad vitam vna cum grege sibi credito, perueniat sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea surgens Episcopus assumpta stola, ascendit ad altare, illudq; in medio exosculatur, vbi stans dat benedictionem solennem populo, dicens:

℣. Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc, & vsq; in sæculum. ℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & serram. ℣. Benedicat vos omnipotens Deus Pa ✠ ter, & Fi ✠ lius, & Spiritus ✠ sanctus. ℟. Amen.

Quibus sic peractis, Prælatus, Sacerdotes, & alij, depositis paramentis, comitantur Episcopum ad Palatium suum, seu Diuersorium.

INTRO-

INTRODVCTIO NOVI PLEBANI, SEV BENEFICIATI.

EXecutor requisitus à Plebano seu Beneficiato, vigore tituli sui, visis autenticis & originalibus literis, Inuestituræ seu prouisionis illius, curet conuocari Clerum & populum pro testimonio, per pulsum campanæ maioris. Et intronizandus indutus superpelliceo & stola, flectat genua ante fores Ecclesiæ: & introducens ipsum similiter indutus, & genua flectens, dicat:

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.

Et oret cum ipso Psalmum: Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam, &c. quilibet suum versum. Finito Psalmo, dicant simul: Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Aue Maria. Et surgens introducens, dicat:

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Sacerdotes tui induantur iustitiam. ℟. Et sancti tui exultent. ℣. Saluum fac seruum tuum. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Deus custodiat introitum & exitum tuum. ℟. Ex hoc nunc, & vsq; in sæculum. Oremus.

PRætende Domine, famulo tuo, dexteram cælestis auxilij; vt te toto corde perquirat, & quæ dignè postulat, consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea tradat ei claues Ecclesiæ, dicens:

Accipe has claues, vt ijsdem aperias ac claudas, quibus & quando oportet: in nomine Domini.

Aperto posthac per eum ostio, inducat eum, porrecta ei stola, executor, dicens:

Ingredere in domum Dei, cuius pietate ad ministerium ipsius vocatus es, vt cum grege tibi credito, vitam ingredi merearis sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Et asper-

Et aspergat eum aqua benedicta. Deinde præcedente Clero, qui hactenus intra Ecclesiam ad fores præstolabatur, vadunt ad summum altare, vbi ambo genua flectentes, facta breui oratione, ascendunt ad planum altaris. Et tunc Executor, intronizando modicum inclinato ad altare, tangentiq; ambabus manibus ipsum altare, in medio tradat possessionē, dicēs:

Authoritate & mandato Domini nostri Reuerendissimi N. Episcopi N. mitto te in corporalem & actualem huius Ecclesiæ possessionem, constituēs te Rectorem eius, in spiritualibus & temporalibus, ac curam animarum illius tibi committens, quam ita administrabis in animam tuam; vt in die iudicij, Deo rationem administrationis tuæ reddere valeas. Et propterea tibi de ipsius fructibus & obuentionibus, ab his quorum interest, responderi iubeo: In nomine Patris, & Fi ✠ lij, & Spiritus sancti. Amen.

Quo peracto, intronizatus facto signo Crucis in medio altaris, exosculetur illud, & si adest Clerus, cantetur Antiphona de Patrono Ecclesiæ, cum Versu & Collecta, quam nouus Rector dicat. His peractis, pulsentur omnes campanæ, & decantetur, Te Deum laudamus. Demum Executor, aut alius quispiam ad hoc idoneus, commendet eum populo, & iubeat, vt illi tanquam Rectori de cætero obediant, & de omnibus prouentibus & iuribus, integrè respondeant. Si verò authoritate Papæ possessio danda est, dicatur: Authoritate & mandato Sanctissimi Domini Nostri Papæ, mitto te in corporalem, &c.

Postremò de Ecclesia intrando domum Plebani, dicat Executor:

℣. Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea.

Oremus.

VIsita, quæsumus Domine, habitationem istam, & omnes insidias inimici ab ea longè repelle, & Angeli tui sancti nos in pace custodiant: Et benedictio tua sit super nos semper. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

In simplicibus verò beneficijs, vtporè, Vicarijs & Altaristis, ac cæteris, Executor, vt suprà, & inducendus, superpelliceo induti, coram Notario (si haberi possit) & testibus ad hoc rogatis, & præsentibus aliquibus eius Ec-

eius Ecclesiæ Beneficiatis, si qui sint, vadunt ad altare beneficij, vbi genua flectunt; factaq; breui Oratione, Executor tradat possessionem Beneficiato, dicens:

Authoritate & mandato Domini nostri Reuerendissimi Episcopi N. mitto te in corporalem & actualem huius Vicariæ (Altaris) Sancti N. possessionem, committens tibi administrationem spiritualem & temporalem ipsius, cuius administrationis rationem in die iudicij, te Domino redditurum scias. Iubeo prærerea tibi de ipsius fructibus & obuentionibus, ab his quorum interest, responderi. In nomine Patris, & Fi ✠ lij, & Spiritus sancti. Amen.

Quo peracto, intronizatus facto signo Crucis in medio altaris, exosculetur illud; postremò Executor aspergat eum aqua benedicta.

PRECES CONTRA MALEFICIA & incantationes.

SAnctus Hilarion Eremitarum Abbas, Dæmonum acerrimus exagitator, expertus dicere solebat; dæmones tanto in homine flagrare odio, vt non solum ipsos, sed etiam animalia, & alias creaturas eis ad vsum destinatas, impetere soleant. Exemplum in B. Iob, quem spiritus nequam in corpore à vertice ad plantam, non prius afflixit, quàm omnia eius bona, vno quasi momento, perdidisset. Quod plerumq; dæmones faciunt, per malignos homines, veluti sua instrumenta. Non tamen vltrà quàm Deus permiserit: vt patet maleficijs magorum Pharaonis: & si autem Deus, eiusmodi plagas sæpè permittat propter probationem & coronam, in bonis & innocentibus, sæpius tamen eas infligit in pœnam delinquentibus. Initium ergo remedij est, in talibus calamitatibus ad ipsum recurrere, per veram pœnitentiam, & satisfactionem eorum, quæ ad Deum & proximum pertinent. Deinde recurrendum est ad orationem Ecclesiæ, per sacrificia, orationes, eleemosynas, & ieiunia. Licet etiam maleficia abscondita inquirere, & inuenta comburere. Non tamen licet, maleficium maleficio auertere & tollere. His remedijs, vbi malum non desierit, vtendum erit sequenti formulâ.

Igitur Sacerdos depulsurus eiusmodi maleficia, firma fide, & integritate vitæ præditus esse, & vel pridiè tantùm ieiunare, ipsa verò die depulsionis Mis-

onis Missam accommodatam negotio celebrare prius debet. Ac in templo quidem veste linea & stola, extra templum autem stola tantùm amictus, & incantatum siue maleficio affectum hominem, vel animalia ante se habens, aut si locus incantatus est, in eo stans, parata aqua, & thure, vel herbis benedictis, deuotè sic oret.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.
Aue Maria. Credo.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus cœlorum, terræ, maris, & omnium quæ in eis sunt, conditor & moderator; qui Sathanam extollentem sese aduersus mentem tuam, vnà cum assecis ipsius, sicut fulgur de cœlo præcipitasti, & ministrorum eius magorum Pharaonis Moysi seruo tuo resistentium, incantationes & maleficia inefficacia reddidisti: te supplices oramus, vt incantationes, præstigias, & maleficia, huic famulo tuo (huic famulæ tuæ) (vel huic loco) (vel in his creaturis tuis) improba fraude dæmonum (meritis peccatorum nostrorum fortassis) intenta & inflicta, omnipotenti virtute tua & clementi bonitate dimoueas, auertas, & itidem inefficacia reddas, quo tyrannide eorum liberati, tibi Domino Deo nostro expeditiùs seruiamus, & nomen sanctum tuum studiosiùs celebremus. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Oremus.

DOmine Iesu Christe Fili Dei viui, qui de sinu Patris in terras descendisti, vt opera diaboli dissolueres, & discipulis tuis dedisti potestatem calcandi serpentes, & scorpiones: te supplices precamur, vt eos ipsos antiquos serpentes atq; dracones diabolos, qui in hoc

in hoc famulo tuo (hac famula tua) (vel in hoc loco) (vel in his creaturis tuis) tyrannidem sibi vsurpant, pedibus familiæ tuæ potenter subijcias, & opera eorum, quæ adducti incantationibus & maleficijs hominis mente corrupti, & sibi dediti, in perniciem serui tui, (vel seruorum tuorum) machinantur & exercent; diuina clementia & virtute tua dissoluas, & inefficacia reddas. Qui cum eodem Patre tuo, & Spiritu sancto, Deus vnus regnas in sæcula sæculorum. Amen.

EXORCISMVS.

EXorcizo & adiuro vos maledicti diaboli, quicunque & quotquot estis, qui incantationibus, maleficijs, & nefarijs artibus addicti vobis hominis adducti, hominem hunc (vel locum hunc) (vel has Dei creaturas) perniciosè vexatis & exagitatis, vt hinc statim cum omnibus præstigijs & maleficijs vestris discedatis, nec vllam vobis deinceps potestatem in hunc hominem (vel in hunc locum, vel in has Dei creaturas) vsurpetis. Hoc autem non mea virtute, vel meritis, vobis præcipio, sed in nomine Dei omnipotentis Pa✠tris, & Fi✠lij, & Spiritus ✠ sancti; & in virtute sanctæ ✠ Crucis, & mortis Christi Domini nostri, per quam potestas omnis tenebrarum, & tyrannis vestra in homines, & omnes creaturas Dei, eneruata & exinanita est. Recedite ergo, & fugite hinc illicò, & date locum Dei potentiæ, dissoluentis opera vestra maligna, per immensam misericordiam suam. Increpet in vos digitus Dei, qui magorum Pharaonis incantationes inefficaces reddidit, & cuius virtutem tunc agnouistis, cùm Pauli Apostoli imperio, vim vestram in Elymam magum, & mancipium vestrum (ad cuius nutum multis nocebatis) conuertistis; & cùm in S. Iustinam, incantante, & vos vrgente Cypriano, nihil profecistis. Sit super vos etiam nunc terror Dei omnipotentis, qui vos in ignem æternum præcipitaturus est: Pa✠ter, & Fi✠lius, & Spiritus ✠ sanctus. Amen.

His di-

His dictis aspergatur homo, vel locus, vel iumenta, & pecudes incantatæ & maleficiatæ, aqua benedicta: & suffitu thuris, vel herbarum benedictarum, lustrentur, siue incensentur.

DE EXORCIZANDIS

Obsessis à dæmonio.

Sacerdos, seu quiuis alius legitimus Ecclesiæ minister, vexatos à dæmone exorcizaturus, ea qua par est pietate, prudentia, ac vitæ integritate, præditus esse debet, qui non sua, sed diuina fretus virtute, ab omni rerum humanarum cupiditate alienus, tam pium opus ex charitate, constanter, & humiliter exequatur. Hunc præterea maturæ ætatis esse decet, & non solum officio, sed etiam morum grauitate reuerendum.

Vt igitur suo munere rectè fungatur, cùm alia multa sibi vtilia documenta, quæ breuitatis gratia hoc loco prætermittuntur, ex probatis auctoribus, & ex vsu nosse studeat; tum hæc pauca magis necessaria diligenter obseruabit.

Inprimis ne facilè credat, aliquem à dæmone obsessum esse; sed nota habeat ea signa, quibus obsessus dignoscitur ab ijs, qui vel atra bile, vel morbo aliquo laborant. Signa autem obsidentis dæmonis sunt: ignota lingua loqui pluribus verbis, vel loquentem intelligere; distantia, & occulta patefacere; vires supra ætatis, seu conditionis naturam ostendere; & id genus alia, quæ cùm plurima concurrunt, maiora sunt indicia.

Hæc autem vt magis cognoscat, post vnum, aut alterum Exorcismum interroget obsessum, quid senserit in animo, vel in corpore, vt sciat etiam ad quænam verba magis diaboli conturbentur, vt ea deinceps magis inculcet, ac repetat.

Aduertat, quibus artibus, ac deceptionibus, vtantur dæmones ad Exorcistam decipiendum: solent enim vt plurimum fallaciter respondere, & difficile se manifestare, vt Exorcista diu defatigatus desistat, aut infirmus videatur non esse a dæmonio vexatus. Aliquando postquam sunt manifesti, abscondunt se, & relinquunt corpus quasi liberum ab omni molestia, vt infirmus putet se omnino esse liberatum: sed cessare non debet Exorcista, donec viderit signa liberationis. Aliquando etiam dæmones ponunt quæcunq; possunt impedimenta, ne infirmus se subijciat exorcismis, vel conantur peesuadere infirmitatem esse naturalem; interdum in medio exorcismi faciunt dormire infirmum, & ei visionem aliquã ostendunt, subtrahendo se, vt infirmus liberatus videatur. Aliqui ostendunt factum maleficium, & à quibus sit factum, & modum ad illud dissipandum; sed caueat, ne ob hoc ad magnos, vel ad sagas, vel ad alios, quam ad Ecclesiæ ministros confugiat, aut vlla superstitione, aut alio modo illicito vtatur. Quandoq; diabolus infirmum quiescere, & suscipere Sanctissimam Eucharistiam permittit, vt discessisse se videatur. Deniq; innumerabiles sunt artes, & fraudes diaboli ad decipiendum hominem, quibus ne fallatur, Exorcista cautus esse debet.

Quare memor, Dominum nostrum dixisse, genus esse dæmoniorum, quod non eijcitur, nisi per orationem, & ieiunium; Matth: 17. *hæc duo potissimum remedia ad impetrandum diuinum auxilium, dæmonesq; pellendos, exemplo Sanctorum Patrum, quoad eius fieri poterit, tum per se, tum per alios curet adhiberi.*

In Ecclesiam, si commodè fieri potest, vel in alium religiosum, & honestum locum, seorsum à multitudine perductus energumenus exorcizetur, sed si fuerit ægrotus, vel persona nobilis, vel alia honesta de causa, in domo priuata exorcizari poterit.

Admoneatur obsessus, si mente & corpore valet, vt pro se oret Deum, ac ieiunet, & sacra confessione, & communione, sepius ad arbitrium Sacerdotis se communiat: & dum exorcizatur, totum se colligat, & ad Deum conuertat, ac firma fide salutem ab eo deposcat cum omni humilitate. Et cùm vehementius vexatur, patienter sustineat, nihil diffidens de auxilio Dei Habeat præ manibus, vel in conspectu, Crucifixum. Reliquiæ quoq; Sanctorum, vbi haberi possint, decenter, ac tuto colligatæ, & coepertæ ad pectus, vel ad caput obsessi reuerenter admoueantur: sed caueatur, ne res sacræ indignè tractentur, aut illis à dæmone vlla fiat iniuria. Sanctissima verò Eucharistia super caput obsessi, aut aliter eius corpori non admoueatur ob irreuerentiæ periculum.

Exorcista ne vagetur in multiloquio, aut superuacaneis, vel curiosis interrogationibus, præsertim de rebus futuris, & occultis, ad suum munus non pertinentibus; sed iubeat immundum spiritum tacere, & ad interrogata tantum respondere, neq; ei credatur, si dæmon simularet, se esse animam alicuius Sancti, vel defuncti, vel Angelum bonum.

Necessariæ verò interrogationes sunt, vt de numero, & nomine spirituum obsidentium, de tempore, quo ingressi sunt, de causa, & alijs huiusmodi. Cæteras autem dæmonis nugas, risus, & ineptias, Exorcista cohibeat, aut contemnat; & circumstantes, qui pauci esse debent, admoneat, ne hæc current, neq; ipsi interrogent obsessum, sed potius humiliter, & enixè, Deum pro eo precentur.

Exorcismos verò faciat, ac legat cum imperio, & auctoritate, magna fide, & humi-

& humilitate, atq; feruore: & cùm viderit spiritum valde torqueri, tunc magis instet, & vrgeat: & quoties viderit obsessum in aliqua corporis parte commoueri, aut pungi, aut tumorem alicubi apparere, ibi faciat signum Crucis, & aqua benedicta aspergat, quam exorcizando in promptu habeat.

Obseruet etiam, ad quæ verba dæmones magis contremiscant, & ea sæpius repetat; & quando peruenerit ad comminationem, eam iterum, & sæpius proferat, semper pœnam augendo, ac si videat se profitere, in ipsa perseueret, per duas, tres, quatuor horas, & amplius, prout poterit, donec victoriam consequatur.

Caueat proinde Exorcista, ne vllam medicinam infirmo, vel obsesso, præbeat, aut suadeat: sed hanc curam Medicis relinquat.

Mulierem exorcizans, semper secum habeat honestas personas, quæ obsessam teneant, dum exagitatur à dæmonio; quæ quidem personæ sint patienti, si fieri potest, cognatione proximæ, atq; honestatis memores. Exorcista caueat, ne quid dicat, vel faciat, quod sibi, aut alijs occasio esse possit prauæ cogitationis.

Dum exorcizat, vtatur sacræ scripturæ verbis potius, quam suis, aut alienis. Iubeatq; dæmonem dicere, an detineatur in illo corpore ob aliquam operam magicam, aut malefica signa, vel instrumenta, quæ si obsessus ore sumpserit, euomat; vel si alibi extra corpus fuerint, ea reuelet, & inuenta comburantur. Moneatur etiam obsessus, vt tentationes suas omnes Exorcistæ patefaciat.

Si verò obsessus liberatus fuerit, moneatur, vt diligenter sibi caueat à peccatis, ne occasionem dæmoni præbeat in ipsum reuertendi, ne fiant nouissima hominis illius peiora prioribus.

Itaq; Sacerdos, siue alius Exorcista ritè confessus, aut saltem corde peccata sua detestans, peracto, si commodè fieri potest, Sanctissimo Missæ Sacrificio, Diuinoq; auxilio pijs precibus implorato, superpelliceo, & stola violacea, cuius extrema pars ad obsessi collum circumponatur, indutus, & coram se habens obsessum ligatum, si fuerit periculum, eum, se, & astantes, communiat signo Crucis, & aspergat aqua benedicta, & genibus flexis, alijs respondentibus, dicat Litanias ordinarias vsq; ad Preces, exclusiuè. In fine Antiphona: Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum, neq; vindictam sumas de peccatis nostris. Pater noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

Psalmus 53.

DEus in nomine tuo saluum me fac: & in virtute tua iudica me.

Deus

Deus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.
Quoniam alieni insurrexerunt aduersum me, & fortes quæsierunt animam meam: & non proposuerunt Deum ante conspectũ suum.
Ecce enim Deus adiuuat me: & Dominus susceptor est animę meę.
Auerte mala inimicis meis: & in veritate tua disperde illos.
Voluntariè sacrificabo tibi: & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.
Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: & super inimicos meos despexit oculus meus.
Gloria Patri, & Filio, &c.

℣. Saluum fac seruum tuum. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eum. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, cui proprium est misereri semper & parcere, suscipe deprecationem nostram, vt hunc famulum tuum, vel famulam tuam, quem, vel quam, delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absoluat.

Oratio.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, qui illum refugam tyrannum, & apostatam, gehennæ ignibus deputasti, quiq; vnigenitum tuum in hunc mundum misisti; vt illum rugientem contereret, velociter attende, accelera, vt eripias hominem, ad imaginem & similitudinem tuam creatum, à ruina, & dæmonio meridiano. Da Domiue terrorem tuum super bestiam, quæ exterminat vineam tuam. Da fiduciam seruis tuis, contra nequissimum draconem pugnare fortissimè, ne contemnat sperantes in te, & ne dicat, sicut in Pharaone, qui iam dixit, Deum non noui, nec Israel dimitto. Vrgeat illũ

dextera

dextera tua potens, discedere à famulo tuo N. vel famula tua N. ✠ ne diutius præsumat captiuum tenere, quem tu ad imaginem tuam facere dignatus es, & in Filio tuo redemisti. Qui tecum viuit, & regnat, &c. ℟. Amen.

Deinde præcipiat dæmoni hunc in modum:

PRæcipio tibi, quicumq; es, spiritus immunde, & omnibus socijs tuis, hunc Dei famulum obsidentibus, vt per mysteria Incarnationis, Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis Domini nostri Iesu Christi, per missionem Spiritus sancti, & per aduentum eiusdem Domini nostri IESV Christi ad iudicium, dicas mihi nomen tuum, diem, & horam exitus tui cum aliquo signo; vt mihi Dei ministro, licet indigno, prorsus in omnibus obedias: neque hanc Creaturam Dei, vel circumstantes, aut eorum bona vllo modo offendas.

Deinde legantur super obsessum hæc Euangelia, vel vnum, aut alterum. Lectio sancti Euangelij secundùm Ioannem. hæc dicens signat se, & obsessum in fronte, ore & pectore. In principio erat verbum, &c. vt supra fol, 198.

Lectio sancti Euangelij secundùm Marcum. *Marc: 16.*

IN illo tempore. Dixit Iesus discipulis suis: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia eijcient: linguis loquentur nouis: serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & benè habebunt.

Lectio sancti Euangelij secundùm Lucam. *Luc: 19.*

IN illo tempore: Reuersi sunt septuaginta duo cum gaudio, dicẽtes ad Iesum: Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis: Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit: verumtamen in hoc nolite gaudere: quia spiritus vobis subijciuntur: gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.

Lectio sancti Euangelij secundùm Lucam. *Luc: 11.*

IN illo tempore. Erat Iesus eijciens dæmonium, & illud erat mutum, & cùm eiecisset dæmonium, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub Principe dæmoniorum, eijcit dæmonia: & alij tentantes signum de cœlo quærebant ab eo. Ipse autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet. Si autem & Sathanis in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius? quia dicitis in Beelzebub me eijcere dæmonia. Si autem ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij vestri in quo eijciunt? ideo ipsi iudices vestri erunt. Porrò, si in digito Dei eijcio dæmonia, profecto peruenit in vos Regnum Dei. Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet, si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa eius arma auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens Domine, Verbum Dei Patris, Christe Iesu, Deus, & Dominus vniuersæ creaturæ, qui sanctis Apostolis tuis dedisti potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, qui inter cætera mirabilium tuorum præcepta dignatus es dicere: dæmones effugate: cuius virtute motus tanquam fulgur de cœlo sathanas cecidit: tuum sanctum nomen cum timore & tremore supplici-

citer de-

citer deprecor, vt indignissimo mihi seruo tuo, data venia omnium delictorum meorum, constantem fidem, & potestatem donare digneris: vt hunc crudelem dæmonem, brachij tui sancti munitus potentia, fidenter & securus aggrediar, per te Iesu Christe, Domine Deus noster, qui venturus es iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde muniens se, & obsessum, signo crucis, circumposita parte stolæ ad collum eius, & dextera manu sua capiti eius imposita constanter, & magna cum fide dicat ea, quæ sequuntur:

℣. Ecce Crucem Domini, fugite partes aduersæ. ℟. Vicit leo de tribu Iuda radix Dauid. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscũ. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

DEus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, inuoco nomen sanctum tuum, & clementiam tuam supplex exposco, vt aduersus hunc, & omnem immundum spiritum, qui vexat hoc plasma tuum, mihi auxilium præstare digneris. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti, &c.

Exorcismus.

EXorcizo te immundissime spiritus, omnis incursio aduersarij, omne phantasma, omnis legio in nomine Domini nostri Iesu Christi ✠ eradicare, & effugare ab hoc plasmate Dei ✠ ipse tibi imperat, qui te de supernis cœlorum in inferiora terræ demergi præcepit. Ipse tibi imperat, qui mari, ventis, & tempestatibus imperauit. Audi ergo, & time Sathana, inimice fidei, hostis generis humani, mortis adductor, vitæ raptor, iustitiæ declinator, malorum radix, fomes vitiorum, seductor hominum, proditor gentium, incitator inuidiæ, origo auaritiæ, causa discordiæ, excitator dolorum: quid stas, & resistis, cùm scias, Christum Dominum vires tuas

res tuas perdere? illum metue, qui in Isaac immolatus est, in Ioseph venundatus, in agno occisus, in homine crucifixus, deinde inferni triumphator fuit. Sequentes Cruces fiant in fronte obsessi. Recede ergo in nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus sancti, ✠ da locum Spiritui sancto, per hoc signum ✠ Crucis Iesu Christi Domini nostri. Qui cum Patre, & eodem Spiritui sancto viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus conditor, & defensor generis humani, qui hominem ad imaginem tuam formasti, respice super hunc famulum tuum N. vel hanc famulam tuam N. qui, vel quæ, dolis immundi spiritus appetitur, quem vetus aduersarius, antiquus hostis terræ, formidinis horrore circumuolat, & sensum mentis humanæ stupore defigit, terrore conturbat, & metu trepidi timoris exagitat. Repelle Domine virtutem diaboli, fallacesq; eius insidias amoue: procul impius tentator aufugiat: sit nominis tui signo ✠ (in fronte) famulus tuus munitus, & in anima tutus, & corpore. Tres Cruces sequentes fiant in pectore dæmoniaci. Tu pectoris ✠ huius interna custodias. Tu viscera ✠ regas. Tu ✠ cor confirmes: in anima aduersatricis potestatis tentamenta euanescant. Da Domine ad hanc inuocationem Sanctissimi nominis tui gratiam, vt qui huc vsq; terrebat, territus aufugiat, & victus abscedat, tibiq; possit hic famulus tuus, & corde firmatus, & mente sincerus, debitum præbere famulatum. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit, &c. ℟. Amen.

Exorcismus

ADiuro te serpens antique, per Iudicem viuorum, & mortuorum, per factorem tuum, per factorem mundi, per eum, qui habet

habet potestatem mittendi te in gehennam, vt ab hoc famulo Dei N. qui ad Ecclesiæ sinum recurrit, cum metu, & exercitu furoris tui, festinus discedas. Adiuro te iterum ✠ (in fronte) non mea infirmitate, sed virtute Spiritus sancti; vt exeas ab hoc famulo Dei N. quem omnipotens Deus ad imaginem suam fecit. Cede igitur, cede, non mihi, sed ministro Christi. Illius enim te vrget potestas, qui te Cruci suæ subiugauit. Illius brachium contremisce, qui deuictis gemitibus inferni, animas ad lucem perduxit. Sit tibi terror corpus hominis ✠ (in pectore) sit tibi formigo imago Dei ✠ (in fronte.) Non resistas, nec moreris discedere ab homine isto, quoniam complacuit Christo in homine habitare. Et ne contemnendum putes, dum me peccatorem nimis esse cognoscis. Imperat tibi Deus: ✠ imperat tibi Maiestas Christi: ✠ imperat tibi Deus Pater: ✠ imperat tibi Deus Filius: ✠ imperat tibi Deus Spiritus sanctus: ✠ imperat tibi Sacramentum Crucis: ✠ imperat tibi fides Sanctorum Apostolorum, Petri & Pauli, & cæterorum Sanctorum: ✠ imperat tibi Martyrum sanguis: ✠ imperat tibi continentia Confessorum: ✠ imperat tibi pia Sanctorum & Sanctarum omnium intercessio: ✠ imperat tibi Christianæ fidei mysteriorum virtus. ✠ Exi ergo transgressor; exi seductor, plene omni dolo, & fallacia, virtutis inimice, innocentium persecutor. Da locum diuissime; da locum impijssime; da locum Christo, in quo nihil inuenisti de operibus tuis, qui te spoliauit, qui regnum tuum destruxit, qui te victum ligauit, & vasa tua diripuit: qui te proiecit in tenebras exteriores, vbi tibi cum ministris tuis erit præparatus interitus. Sed quid truculente retineris? quid temerariè detrectas? Reus es omnipotenti Deo, cuius statuta transgressus es. Reus es Filio eius Iesu Christo Domino nostro, quem tentare ausus es, & crucifigere præsumpsisti. Reus es humano generi, cui tuis persuasionibus morti venenum propinasti.

Adiuro ergo te draco nequissime, in nomine Agni ✠ immaculati,

culati, qui ambulaui super aspidem & basiliscum; qui conculcauit leonem & draconem, vt discedas ab hoc homine ✠ (fiat in fronte) ducedas ab Ecclesia Dei ✠ (fiat signum Crucis super circumstantes) contremisce, & effuge, inuocato nomine Domini illius, quem inferi tremunt, cui virtutes cœlorum, & Potestates, & Dominationes, subiectæ sunt, quem Cherubim & Seraphim, indefessis vocibus laudant dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Imperat tibi verbum ✠ Caro factum. Imperat tibi natus ✠ ex Virgine. Imperat tibi Iesus ✠ Nazarenus, qui te, cùm discipulos eius contemneres, elisum, atq; prostratum exire præcepit ab homine, quo præsente cùm te ab homine separasset, nec porcorum gregem ingredi præsumebas. Recede ergo nũc adiuratus in nomine ✠ eius, ab homine, quem ipse plasmauit. Durum est tibi velle resistere. ✠ Durum est tibi contra stimulum calcitrare. ✠ Quia quanto tardius exis, tanto magis tibi supplicium crescit, quia non homines contemnis, sed illum, qui dominatur viuorum, & mortuorum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus cœli, Deus terræ, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrũ, Deus Virginum, Deus qui potestatem habes, donare vitam post mortem, requiem post laborem, quia non est alius Deus præter te, nec esse poterit verus, nisi tu creator cœli & terræ, qui verus Rex es, & cuius regni non erit finis; humiliter maiestati gloriæ tuæ supplico, vt hunc famulum tuum de immundis spiritibus liberare digneris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Exorcismus.

ADiuro ergo te omnis immundissime spiritus, omne phantasma,

ſma, omnis in curſio ſathanæ, in nomine Ieſu Chriſti ✠ Nazareni, qui poſt lauacrum Iordanis in deſertum ductus eſt, & te in tuis ſedibus vicit, vt quem ille de limo terræ ad honorem gloriæ ſuæ formauit, tu deſinas impugnare, & in homine miſerabili non humanam fragilitatem, ſed imaginem omnipotentis Dei contremiſcas. Cede ergo Deo, ✠ qui te & malitiam tuam in Pharaone, & in exercitu eius per Moyſen ſeruum ſuum, in abyſſum demerſit. Cede Deo, ✠ qui te per fideliſſimum ſeruum ſuum Dauid, de Rege Saule, ſpiritualibus Canticis pulſum fugauit. Cede Deo, ✠ qui te in Iuda Iſcariote proditore damnauit. Ille enim te Diuinis ✠ verberibus tangit, in cuius conſpectu, cum tuis legionibus tremens, & clamans dixiſti: Quid nobis, & tibi Ieſu Fili Dei Altiſſimi? Veniſti huc ante tempus torquere nos? Ille te perpetuis flammis vrget, qui in fine temporum dicturus eſt impijs: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius. Tibi enim impie, & Angelis tuis, vermes erunt, qui nunquam morientur. Tibi, & Angelis tuis, inextinguibile præparatur incēdium, quia tu es princeps maledicti homicidij; tu auctor incæſtus, tu ſacrilegiorum caput, tu actionum peſſimarum magiſter: tu hæreticorum doctor, tu totius obſcænitatis inuentor. Exi ergo ✠ impie, exi ✠ ſcelerate. Exi cum omni fallacia tua, quia hominem templum ſuum eſſe voluit Deus. Sed quid diutius moraris hic; Da honorem Deo Patri omnipotenti, ✠ cui omne genu flectitur. Da locum Domino Ieſu Chriſto, ✠ qui pro homine ſanguinem ſuum ſacratiſſimum fudit. Da locum ſpiritui ✠ ſancto, qui per beatum Apoſtolum ſuum Petrum, te manifeſtè ſtrauit in Simone mago: qui fallaciam tuam in Anania, & Saphira, condemnauit; qui te in Herode Rege honorem Deo non danti, percuſſit; qui te in magno Elima, per Apoſtolum ſuum Paulum, cœcitatis caligine perdidit, & per eundem de Phytoniſſa verbo imperans, exire præcepit. Diſcede ergo nunc, ✠ diſcede ✠ ſeductor. Tibi eremus ſe-

mus ſedes eſt. Tibi habitatio ſerpens eſt: humiliare & proſternere. Iam non eſt differendi tempus. Ecce enim dominator Dominus proximat cito, & ignis ardebit ante ipſum, & præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Si enim hominem fefelleris, Deum non poteris irridere. Ille te eijcit, cuius oculis nihil occultum eſt. Ille te expellit, cuius virtuti vniuerſa ſubiecta ſunt. Ille te excludit, qui tibi, & Angelis tuis, præparauit æternam gehennā: de cuius ore exibit gladius acutus; qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Prædicta omnia, quatenus opus fuerit, repeti poſſunt, donec obſeſſus ſit omnīnò liberatus.

Iuuabit præterea plurimum, hæc, quæ infra notantur, ſuper obſeſſum deuotè dicere, ſæpèq; repetere; P ater noſter. A ue Maria. C redo.

Canticum B. Mariæ Virginis. *Luc: 1.*

MAgnificat anima mea Dominum.
Et exultauit ſpiritus meus: in Deo ſalutari meo.
Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.
Quia fecit mihi magna, qui potens eſt: & ſanctum nomen eius.
Et miſericordia eius à progenie in progenies: timentibus eum.
Fecit potentiā in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.
Deposuit potentes de ſede: & exaltauit humiles.
Eſurientes impleuit bonis: & diuites dimiſit inanes.
Suſcepit Iſrael puerum ſuum: recordatus miſericordiæ ſuæ.
Sicut locutus eſt ad patres noſtros: Abrahā & ſemini eius in ſæcula.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.
Sicut erat in principio, & nunc, &c.

Canticum. Benedictus Dominus Deus Iſrael. vt ſupr: fol: 235.

Symbolum Sancti Athanaſij.

QVicunque vult ſaluus eſſe: ante omnia opus eſt, vt teneat Catholicam fidem.

 Quam

Quam nisi quisque integram, inuiolatamq; seruauerit: absq; dubio in æternum peribit.
Fides autem Catholica hæc est, vt vnum Deum in Trinitate: & Trinitatem in vnitate veneremur.
Neq; confundentes personas: neque substantiam separantes.
Alia est enim persona Patris, alia Filij: alia Spiritus sancti.
Sed Patris & Filij, & Spiritus sancti, vna est diuinitas: æqualis gloria, coæterna maiestas.
Qualis Pater, talis Filius: talis Spiritus sanctus.
Increatus Pater, increatus Filius: increatus Spiritus sanctus.
Immensus Pater, immensus Filius: immensus Spiritus sanctus.
Æternus Pater, æternus Filius: æternus Spiritus sanctus.
Et tamen non tres æterni: sed vnus æternus.
Sicut non tres increati, nec tres immensi: sed vnus increatus, & vnus immensus.
Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius: omnipotens Spiritus sanctus.
Et tamen non tres omnipotentes: sed vnus omnipotens.
Ita Deus Pater, Deus Filius: Deus Spiritus sanctus.
Et tamen non tres Dij: sed vnus est Deus.
Ita Dominus Pater, Dominus Filius: Dominus Spiritus sanctus.
Et tamen non tres Domini: sed vnus est Dominus.
Quia sicut singillatim vnamquamque personam Deum ac Dominum confiteri Christiana veritate compellimur: ita tres Deos, aut Dominos dicere, Catholica religione prohibemur.
Pater à nullo est factus: nec creatus, nec genitus.
Filius à Patre solo est: non factus, nec creatus, sed genitus.
Spiritus sanctus à Patre & Filio: non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.
Vnus ergo Pater, non tres Patres, vnus Filius, non tres Filij: vnus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti.

Et in

Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aus minus: sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.
Ita vt per omnia, sicut iam supra dictum est, & vnitas in Trinitate: & Trinitas in vnitate veneranda sit.
Qui vult ergo saluus esse: ita de Trinitate sentiat.
Sed necessarium est ad æternam salutem: vt incarnationem quoq; Domini nostri Iesu Christi fideliter credat.
Est ergo fides recta, vt credamus & confiteamur: quia Dominus noster Iesus Christus Dei Filius, Deus & homo est.
Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus: & homo ex substantia Matris in sæculo natus.
Perfectus Deus, perfectus homo: ex anima rationali, & humana carne subsistens.
Æqualis Patri secundùm diuinitatem: minor Patre secundùm humanitatem.
Qui licet Deus sit & homo: non duo tamen, sed vnus est Christus.
Vnus autem non conuersione diuinitatis in carnem: sed assumptione humanitatis in Deum.
Vnus omnino non confusione substantiæ: sed vnitate personæ.
Nam sicut anima rationalis & caro vnus est homo: ita Deus & homo vnus est Christus.
Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos: tertia die resurrexit à mortuis.
Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est iudicare viuos & mortuos.
Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis: & reddituri sunt de factis proprijs rationem.
Et qui bona egernnt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala, in ignem æternum.
Hæc est fides Catholica: quam nisi quisq; fideliter firmiterq; crediderit, saluus esse non poterit.
Gloria Patri & Filio, &c.

Psal.

Psalmus 97.

EXurgat Deus, & dissipentur inimici eius: & fugiant, qui oderunt eum, à facie eius.
Sicut deficit fumus, deficiant: sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.
Et iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei: & delectentur in lætitia.
Cantate Deo, Psalmum dicite nomini eius: iter facite ei qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.
Exultate in conspectu eius: turbabuntur à facie eius, patris orphanorum, & iudicis viduarum.
Deus in loco sancto suo: Deus, qui inhabitare facit vnius moris in domo.
Qui educit vinctos in fortitudine: similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris.
Deus cùm egredereris in conspectu populi tui: cùm pertransires in deserto.
Terra mota est, etenim cœli distillauerunt à facie Dei Sinai: à facie Dei Israel.
Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata est: tu verò perfecisti eam.
Animalia tua habitabunt in ea: parasti in dulcedine tua pauperi Deus.
Dominus dabit verbum Euangelizantibus: virtute multa.
Rex virtutum dilecti dilecti: & speciei domus diuidere spolia.
Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ: & posteriora dorsi eius in pallore auri.
Dum discernit cælestis reges super eam: niue dealbabuntur in Selmon, mons Dei, mons pinguis.
Mons coagulatus, mons pinguis: vt quid suspicamini montes coagulatos?

Mons

Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.
Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sina in sancto.
Ascendisti in altum, cæpisti captiuitatem: accepisti dona in hominibus.
Etenim non credentes: inhabitare Dominum Deum.
Benedictus Dominus die quotidie: prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.
Deus noster, Deus saluos faciendi: & Domini Domini exitus mortis.
Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum: verticem capilli perambulantium in dilectis suis.
Dixit Dominus; Ex Basan conuertam: conuertam in profundum maris.
Vt intingatur pes tuus in sanguine: lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.
Viderunt ingressus tuos Deus: ingressus Dei mei, Regis mei, qui est in sancto.
Præuenerunt principes coniuncti psallentibus: in medio iuuencularum tympanistriarum.
In Ecclesijs benedicite Deo Domino: de fontibus Israel.
Ibi Beniamin adolescentulus: in mentis excessu.
Principes Iuda, duces eorum: principes Zabulon, principes Nephtali.
Manda Deus virtuti tuæ: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.
A templo tuo in Ierusalem: tibi offerent reges munera.
Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: vt excludant eos, qui probati sunt argento.
Dissipa gentes, quæ bella volunt, venient legati ex Ægypto: Æthiopia præueniet manus eius Deo.
Regna terræ cantate Deo: psallite Domino.
Psallite Deo, qui ascendit super cœlum cœli: ad orientem.
Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo super Israel: magnificentia eius, & virtus eius in nubibus.

Mirabi-

Mirabilis Deus in ſanctis ſuis, Deus Iſrael ipſe dabit virtutem & fortitudinem plebi ſuæ: benedictus Deus.
Gloria Patri, &c. Pſalmus 69.

DEus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me feſtina.
Confundantur & reuereantur: qui quærunt animam meam.
Auertantur retrorſum, & erubeſcant: qui volunt mihi mala.
Auertantur ſtatim erubeſcentes; qui dicunt mihi: Euge, euge.
Exultent & lætentur in te omnes, qui quærunt te: & dicant ſemper; Magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum.
Ego verò egenus & peuper ſum: Deus adiuua me.
Adiutor meus, & liberator meus es tu: Domine ne moreris.
Gloria Patri, &c. Pſal: 53. Deus in nomine tuo ſaluum me fac. vt ſupra, fol: 250. Pſalmus 117.

COnfitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius.
Dicat nunc Iſrael qnoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius.
Dicat nunt domus Aaron: quoniam in ſæculum miſericordia eius
Dicat nunc qui timent Dominum: quoniam in ſæculum miſericordia eius.
De tribulatione inuocaui Dominum: & exaldiuit me in latitudine (Dominus
Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo.
Dominus mihi adiutor: & ego deſpiciam inimicos meos.
Bonum eſt confidere in Domino: quam confidere in homine.
Bonum eſt ſperare in Domino: quàm ſparare in principibus.
Omnes gentes circuierunt me: & in nomiue Domini, quia vltus ſum in eos.
Circumdantes circumdederunt me: & in nomine Domini, quia vltus ſum in eos,
Circumdederunt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis: & in nomine Domini, quia vltus ſum in eos.

Impulſus euerſus ſum vt caderem: & Dominus ſuſcepit me.
Fortitudo mea, & laus mea Dominus: & factus eſt mihi in ſalutem.
Vox exultationis & ſalutis: in tabernaculis iuſtorum.
Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me: dextera Domini fecit virtutem.
Non moriar ſed viuam: & narrabo opera Domini.
Caſtigans caſtigauit me Dominus: & morti non tradidit me.
Aperite mihi portas iuſtitiæ, ingreſſus in eas confitebor Domino: hæc porta Domini, iuſti intrabunt in eam.
Confitebor tibi quoniam exaudiſti me: & factus es mihi in ſalutē.
Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes: hic factus eſt in caput anguli.
A Domino factum eſt iſtud: & eſt mirabile in oculis noſtris.
Hæc eſt dies, quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea.
O Domine ſaluum me fac, ô Domine benè proſperare: benedictus qui venit in nomine Domini. (nobis,
Benediximus vobis de domo Domini: Deus Dominus, & illuxit
Conſtituite diem ſolemnem in condenſis: vſq; ad cornu altaris.
Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te.
Confitebor tibi quoniam exaudiſti me: & factus es mihi in ſalutē.
Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius.
Gloria Patri, & Filio, &c. Pſalmus 34.

IVdica Domine nocentes me: expugna impugnantes me.
Apprehende arma & ſcutum: & exurge in adiutorium mihi.
Effunde frameam, & conclude aduerſus eos, qui perſequuntur me: dic animæ meæ; Salus tua ego ſum.
Confundantur & reuereantur: quærentes animam meam.
Auertantur retrorſum, & confundantur: cogitantes mihi mala.
Fiant tanquam puluis ante faciem venti: & Angelus Domini coarctans eos.

